

TRACTATUS IV.

DE LEGIBUS

S. Alf. lib. 1. H. A. tr. 2.

127. — Postquam egimus de conscientia, qua regula moralitatis applicatur ad actum hic et nunc ponendum, quaeque proin regula proxima et *subiectiva* moralitatis dici potest, iam nunc agendum est de ipsa regula moralitatis *obiectiva* secundum se seu de lege.

Dicemus primum de notione et divisione legis in genere (c. 1); dein de nonnullis legibus in specie. Et quidem prius breviter de lege divina (c. 2); dein fuse de lege humana, cum civili tum praesertim ecclesiastica; idque in genere de eius institutione (c. 3), subiecto (c. 4), obligatione (c. 5), interpretatione (c. 6), cessatione, sive quoad obligationem tantum, tam a parte subditi (c. 7), quam a parte Superioris (c. 8), sive quoad ipsam legem (c. 9). Ultimo, ob peculiarem ipsarum naturam, agemus de duabus speciebus legis humanae in particulari, id est, de consuetudine (c. 10) et de privilegiis (c. 11).

CAPUT I.

NOTIO ET DIVISIO LEGIS IN GENERE

128. — Notio legis. Lex sensu stricto pro lege *moralis* sumpta a S. Thoma definitur: Quaedam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet promulgata.¹⁾

Dicitur: 1° *rationis ordinatio*, quia rationis est regulare; lex autem est quaedam regula humanorum actuum, dirigens eos in finem debitum. (Cfr. supra n. 47); et quidem rationis *ordinatio* seu imperium, quia lex constituitur per actum rationis practicae, quae movetur a voluntate et ordinat ad opus; et quidem lex ordinat *efficaciter*, h. e. ita ut in subditis oriatur obligatio seu moralis necessitas aliquid faciendi vel omittendi; — 2° ad bonum *commune*, id est communitatis perfectae; hic est finis ad quem ordinat lex; — 3° *ab eo qui curam communitatis habet*, quia ordinare ad bonum communitatis spectat ad eum, qui praestit communitati; — 4° *promulgata*, id est communitati notificata, quae quidem notificatio requiritur, saltem tamquam conditio necessaria, pro actuali legis obligatione.

Differt igitur lex a *consilio*, quod lex obligationem inducit, consilium autem non obligat. — Differt lex a *praecepto* stricte sumpto (nam haec vocabula saepe

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 90. a. 4.

promiscue usurpantur), quod: 1° lex datur communitati, praeceptum personis etiam singularibus aut privato coetui; 2° lex *per se* est perpetua, quamdiu non abrogatur, praeceptum vero expirat resoluto iure praecipientis, nisi aliter constet (ita ex can. 24 illud praeceptum Superioris ecclesiastici non cessat, quod per legitimum documentum aut coram duobus testibus impositum fuerit); 3° lex non praesumitur personalis sed *territorialis*, nisi aliter constet (ita expresse in iure canonico, can. 8. § 2); praecepta vero singulis data, eos quibus dantur *ubique* urgent (can. 24; cfr. infra n. 150 *sequ.*); 4° lex ferri nequit nisi a Superiore potestatem *politicam* seu *iurisdictionis* habente; praeceptum ferri potest etiam a Superiore *oeconomicam* tantum seu *dominativam* potestatem habente, qualem pater habet in familiam.

129. — *Divisio legis.* Lex considerari potest aut quae est talis *per essentiam*, et est lex *aeterna* quae est regula *suprema et remota* moralitatis, aut quae sunt tales *per participationem*, suntque a regula aeterna derivatae atque regulae proximae moralitatis. Hae autem multifariam dividuntur. Et quidem habetur: 1° ratione AUCTORIS IMMEDIATI lex *divina* quae immediate a Deo, *humana* quae immediate ab homine condita est.

Divina subdividitur in *naturalem* et *positivam*. Lex *naturalis* est naturalis participatio legis aeternae in rationali creatura, seu est lumen rationis manifestans legem aeternam. Lex divina *positiva* dicitur ea, quae a Deo legi naturali superaddita est; unde solo rationis lumine innotescere nequit, sed peculiari facto promulganda est. — Lex divina *positiva* dividitur in *primitivam*, *veterem* et *novam*. *Primitiva* est quae habebatur ante legem Mosaicam tempore patriarcharum. *Vetus* est, quae a Deo data est Moysi, continens praecepta iudicialia, caeremonialia et moralia. *Nova* est, quae a Christo est instituta et per Apostolos promulgata, complectens praecepta fidei, morum et Sacramentorum. Leges autem morales a Moyse vel Christo datae, partim saltem, simul sunt naturales quatenus et lumine naturali manifestantur. Cfr. supra n. 47.

Lex *humana* dividitur in *ecclesiasticam* et *civilem*. *Ecclesiastica* seu *canonica* est, quae a potestate ecclesiastica statuitur propter finem supernaturalem; *civilis* est, quae a potestate saeculari conditur propter bonum temporale et constituit aut ius positivum *nationale*, quatenus aliquam determinatam nationem seu Statum regit: aut ius positivum *internationale*, quatenus spectat habitudinem diversorum statuum inter se. Ius internationale iterum distinguitur in ius internationale *publicum*, quod est societatis ad societatem, et ius internationale *privatum*, quod est civis unius societatis ad cives alterius societatis.

Praeter ius internationale positivum datur etiam ius internationale *naturale*; porro ius internationale naturale una cum iure internationali positivo simul sumptum a modernis vocari solet *ius gentium*. — A S. Thoma vero et antiquioribus scholasticis hoc nomine, exemplo iurisconsultorum romanorum, conclusiones necessariae ex principiis legis naturalis deductae atque etiam a legisla-tore humano promulgatae et sancitae, indicabantur.

2° Ratione ACTUS legis, est *affirmativa* quae praecipit actum, *negativa* quae actum prohibet, *permittens* quae actum expresse permittit. — Negativa est vel *pure prohibens*, quando reddit actum solum illicitum; vel *irritans*, quando reddit illum invalidum.

3° Ratione OBLIGATIONIS, est *praeceptiva* quae sub peccato obligat; *poenalis* quae sub poena; *mixta* quae sub utraque simul. (H. A. n. 14.)

4° Ratione OBIECTI, est *favorabilis* quae, principaliter saltem, favorem aut beneficium confert, licet secundario in alicuius onus cedat; *odiosa* seu *onerosa*, quae principaliter onus aut gravamen imponit, quamvis secundario in alicuius favorem cedat.

5° Ratione EXTENSIONIS, est *communis* seu *generalis* seu *universalis* quae lata est pro universa communitate omnino distincta, id est quae alterius pars non est, v. g. pro tota Ecclesia; *particularis*, quae lata est pro communitate particulari, quae nempe maioris communitatis pars est, v. g. pro dioecesi.

6° Denique lex est vel *scripta* vel *non scripta*, et haec iterum est vel *lex tradita* vel *lex consuetudine* inducta.

CAPUT II.

DE LEGE DIVINA

Cum iuxta dicta lex divina sit aut aeterna, aut naturalis, aut positiva, de singulis ex ordine dicemus.

Articulus I.

De lege aeterna.

130. — Notio. Lex aeterna est ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actionum in finem ultimum.¹⁾

Dicitur autem: 1° est *ratio* (i. e. ordinatio) divinae sapientiae; rationis enim est ordinare seu regulare; unde non divina *essentia* ut sic est norma moralitatis, sed est tantummodo eius fundamentum seu radix; antecedenter enim ad ordinationem divinam qua res in finem ultimum ordinantur nulla habetur norma moralitatis *formaliter* seu complete sumpta. — Dicitur: 2° *secundum quod est directiva etc.*; etenim sicut in Deo tamquam in omnium creatore est ratio divinae sapientiae secundum quam omnia creata sunt, quae habet rationem exemplaris seu *ideae*, ita in Ipso tamquam in omnium gubernatore est ratio divinae sapientiae secundum quam omnia diriguntur et moventur ad debitum finem, et haec habet rationem

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 93. a. 1; supra n. 47.

legis. A lege aeterna distinguenda est etiam *providentia* divina; utraque quidem est ordinatio rerum in finem, sed lex continet regulas generales et universales gubernationis universi et secundum quas creaturae agere debent ad finem consequendum, providentia autem consequitur legem aeternam et comparatur ad eam sicut conclusio particularis ad principium universale et exsequitur id quod dictat lex. ¹⁾ — Dicitur haec lex *aeterna*, quatenus non est concepta in tempore sed ab aeterno.

131. — **Principia**. I. *DATUR in Deo lex aeterna*. Datur in Deo *lex*; lex enim nihil aliud est quam dictamen practicae rationis in principe, qui gubernat aliquam perfectam communitatem. Atqui tota communitas universi gubernatur ratione divina, cum mundus divina providentia gubernetur. Datur in Deo *lex aeterna*, ratio enim divina nihil concipit ex tempore, sed habet aeternum conceptum. ²⁾

II. *Lex aeterna est suprema norma moralitatis et ab ipsa omnes leges derivantur*. Ratio est, quia Deus supremus est Legislator, et a lege aeterna omnes leges participant tum iustitiam tum virtutem obligandi. Mutuantur ab ea: 1^o *iustitiam*, tamquam a primo exemplari, cui conformes esse debent; propterea in Prov. VIII. 15 dicitur: « Per me reges regnant, et legum conditores iusta decernunt »; 2^o *vim obligandi*, tamquam a primo efficiente, a quo est omnis legislatorum potestas, iuxta Apostolum ad Rom. XIII. 1. « Non est potestas, nisi a Deo. » Recole dicta n. 47.

Unde iam corruunt systemata incredulorum, aliquod ens *creatum* tamquam supremam normam moralitatis fingentium; sive illud ens sumatur tamquam aliqua potentia humana cognoscitiva, uti Kant voluit; sive sumatur tamquam aliquid extra hominem existens: sive illud sit actui humano extrinsecum, uti lex civilis aut consuetudo: sive ipsi sit intrinsecum seu connaturale, uti utilitas ad bonum creatum aliquod adipiscendum.

III. *Legis aeternae duplex est participatio in creaturis: lex NATURALIS seu moralis et lex NATURAE seu physica*. Cum enim lex aeterna omnia moveat in finem ultimum, omnia entia tum rationalia tum irrationalia hanc motionem participant oportet; idque modo ipsorum naturae consono; ideoque rationalia participatione *intellectuali*, qua cognoscunt quid ipsis agendum sit; irrationalia participatione naturae qua *naturaliter determinantur* ad agendum secundum legem aeternam.

¹⁾ Cfr. S. Th. *de Verit. qu. 5. a. 1 ad 6.*

²⁾ Cfr. 1. 2. *qu. 91. a. 1.*

*Articulus II.***De lege naturali.**

132. — **Notio.** Lex naturalis est *naturalis participatio legis aeternae in creatura rationali*; qua nempe homo naturaliter cognoscit legem aeternam atque dirigitur ad agendum convenienter fini quem natura ex opere illo intendit in actionibus propriis, sive ei competant ex natura generis, ut generare, comedere et huiusmodi, sive ex natura speciei, ut ratiocinari et huiusmodi.¹⁾

Lex igitur naturalis fundatur in essentia naturae humanae eiusque praecepta sunt de his quae de se conveniunt naturae rationali seu inclinationi naturali humanae naturae quaeque proinde sunt intrinsece bona vel mala.

Lex naturalis formaliter constituitur ordinatione seu dictamine rationis²⁾; sic differt a synderesi, qui est *habitus* inclinans intellectum ad assentiendum primis principiis moralibus; differt etiam a conscientia, quae legem naturalem ad determinatum casum particularem applicat.

Haec cognitio dicitur *naturalis* seu *naturaliter acquisita* seu, ut alii aiunt, *naturaliter indita*: non quasi ipsa cognitio sit naturaliter indita, sed quia homo naturaliter ita dispositus est, ut sibi illam cognitionem statim, postquam ad usum rationis pervenerit, facile *acquirat*, abstrahendo ex rebus sensibilibus notiones communissimas ordinis practici (ut sunt notiones boni et mali) atque ex iis formando principia universalissima eiusdem ordinis, ex quibus dein varias conclusiones immediatas et mediatas deducit.

133. — **Principia. I.** *EXSISTIT lex naturalis.* Probatur 1° ex verbis S. Pauli (Rom. II. 14): « Gentes quae legem (mosaicam) non habent, naturaliter ea quae legis sunt, faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus aut etiam defendentibus. » — Probatur 2° ex ratione: Deus enim vi legis aeternae movet unamquamque creaturam in finem ultimum per impressionem participatam legis aeternae, naturae huius creaturae consonam. Atqui homo est creatura rationalis facultate cognoscitiva intellectuali praedita. Ergo Deus eum movet per cognitionem. Hanc autem cognitionem impressam esse vere legem moralem patet ex dictis de natura legis in genere et legis aeternae in specie. — Confirmatur 3° ex ipso testimonio conscientiae ad quod alludit S. Paulus *l. c.*

II. **OBJECTUM legis naturalis est omne illud ad quod homo naturaliter inclinatur.** Patet ex supra dictis. Inclinatio enim naturae humanae legem

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 91. a. 2 et *Suppl. qu. 65. a. 1.*

²⁾ Cfr. 1. 2. qu. 90. a. 1 ad 2. qu. 94. a. 1.

aeternam manifestat et hoc, ad quod homo inclinatur secundum suam naturam, ratio naturaliter apprehendit ut bonum humanum et per consequens opere consequendum, et contrarium eius ut malum et per consequens vitandum.

Hinc obiectum in genere est bonum naturae humanae, ideoque primum principium legis naturalis est: *bonum est faciendum et malum vitandum*. In specie vero habentur praecepta triplicis ordinis pro triplici inclinatione naturae humanae: prima quae ei communis est cum *omni alia* natura, altera quae ei communis est cum natura *animali*, tertia quae ei tamquam naturae *humanae* propria est. ¹⁾

Secundum *primam* inclinationem homo appetit conservationem sui esse; et sic pertinent ad legem naturalem ea per quae vita hominis conservatur et occisio impeditur. — Secundum *alteram* inclinationem sunt de lege naturali ea quae natura omnia animalia docuit; ut est commixtio maris et feminae et educatio liberorum. — Secundum *tertiam* inclinationem prosequitur bonum naturae suae *rationalis*; sic inclinatur naturaliter ad hoc quod veritatem cognoscat de Deo et in societate vivat; et secundum hoc ad legem naturalem pertinent ea quae ad huiusmodi inclinationem spectant, utpote quod homo ignorantiam vitet, quod alios non offendat cum quibus debet conversari, et cetera huiusmodi quae ad hoc spectant. ²⁾

III. SUBJECTUM LEGIS NATURALIS est *omnis homo: idque in actu primo tantum, quatenus usu rationis destitutus est; in actu etiam secundo, quatenus homo usu rationis gaudet*. Eatenus enim aliquis est subiectum legis naturalis, quatenus ipsi promulgatur, i. e. eius obiectum a legislatore observandum proponitur seu manifestatur. *Atqui* talis manifestatio legis naturalis in *usu rationis destitutis* solum obtinet in actu primo, quum mere adsit in iis dispositio naturalis obiectum legis naturalis, remoto obice, cognoscendi: in *usu rationis fruentibus* vero obtinuit etiam in actu secundo, quatenus homo statim postquam usus rationis in eo evigilaverit saltem principia universalissima ordinis moralis necessario naturaliter percepit; in quibus principiis proprie tota lex naturalis obiectiva sita est atque conclusiones immediatae et mediatae tamquam in nucleo continentur.

Corollarium. Ex dictis sequitur infantes qui nondum ad rationis usum pervenerunt et amentes, legem naturalem transgrediendo, peccare quidem, at materialiter tantum. Peccant ergo qui amentes vel pueros rationis nondum composites ad actiones ex se legi naturali contrarias inducunt; nam inducunt eos ad peccatum materiale seu ad veram, obiectivam transgressionem legis pro ipsis etiam latae. — Ex hac parte quidem non peccant qui eos inducunt ad actus qui, ut peccaminosi, natura sua usum rationis requirunt, ut nonnulla saltem peccata *oris*; attamen tales facile peccant ex capite pravi habitus qui pueris similibusque ingeritur vel ex capite scandalii aliorum. (n. 153; H. A. II. n. 36; Marc. n. 125; Lehm. I. n. 226.)

¹⁾ 1. 2. qu. 94. a. 2.

²⁾ S. Thom. I. c.

134. — Quaestiones. I. De cognoscibilitate legis naturalis. QUÆR. *An lex naturalis invincibiliter ignorari possit.*

Resp. Dist. Negat. omnino quoad *prima principia* seu praecepta; quia ipso lumine naturae sunt omnibus per se nota et indelebilia ab humana mente. Talia sunt v. g.: bonum est faciendum, malum vitandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; suum cuique est tribuendum.

Negat. quoque quantum ad *praecepta secundaria* proxime a primis deducta; quia obvio discursu a primis deducuntur, et conscientia ipsa pulsatur in actibus eorum. Talia sunt praecepta Decalogi, dempta circumstantia diei in tertio praecepto. Conceditur tamen nonnulla eiusmodi praecepta invincibiliter ignorari posse a rudibus vel indoctis, et ad breve tempus, aut accedente aliqua circumstantia specietenus cohonestante; quia ob incertitiam et eiusmodi circumstantiam evadunt obscura. Praecepta, quae possunt sic ignorari, sunt e. g. malitia pollutionis, furti ad sublevandam gravem miseriam, mendacii officiosi, occisionis morientis ne diutius agonizet, etc.

Affirm. vero quoad *praecepta a primis remota*: quia non nisi operoso discursu a primis praeceptis deducuntur, cui non omnes idonei sunt; talia sunt praecepta de non ineundis contractibus usurariis, de vitandis quibusdam scandalis, de simoniae vel vindictae illicite et similia; quinimo circa multa eiusmodi praecepta controversia est inter Doctores. Constat praeterea ex prop. 2 Baji confixa ab Alexandro VIII: « Tametsi detur ignorantia invincibilis iuris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali. »

Nota. Non datur ignorantia invincibilis circa *notorias proprii status vel officii obligationes*: quisquis enim statum quemquam vel officium suscipit, ignorare nequit se teneri eiusdem obligationes callere; quare, si debitam instructionem negligat, eius ignorantia vincibilis et culpabilis est. Postquam vero instructiones statui suo *necessarias* comparare satis curaverit, poterit utique circa nonnulla non ita manifesta invincibiliter errare. (n. 170-174. H. A. tr. 1. n. 5.) ¹⁾

135. — II. De immutabilitate legis naturalis. QUÆR. 1° *An lex naturalis sit immutabilis.*

Resp. Dist. Affirm., si intenditur *immutatio proprie dicta*, qua circa eandem materiam lex variatur, tum intrinsece seu a parte finis legis, tum extrinsece seu a parte legislatoris. Fundatur enim in essentia naturae humanae; haec autem est immutabilis tum in se tum a parte Creatoris. *Negat.*, si intelligitur *mutatio improprie dicta*, quae consistit in mutatione non ipsius legis, sed *materiae legis seu subtractione materiae.*

QUÆR. 2° *Quomodo MATERIA legis mutari seu ei subtrahi possit.*

Resp. 1° Ex circumstantiis: ex hac parte materia legis mutatur seu ei sub-

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 94. a. 6.

trahitur, quoties circumstantiae efficiunt, ut aliquod ius vel praeceptum naturale alteri praecepto vel iuri ex apparenti quadam collisione praevaleat. Sic praecepto deposita reddendi aliquando praevalet ius, imo nonnumquam officium, damna propria vel aliena depositi retentione praecavendi; et in genere, quoties duo praecepta concurrunt quae simul observari nequeunt, praevalet praeceptum vel ius superioris generis seu maioris momenti praecepto vel iuri inferiori.

2° *Ex auctoritate divina*: ex hac parte materia legi subtrahi atque mutari potest, quoties supremo Dei dominio ita subiecta est, ut pro libitu de ea disponi possit, uti obtinet circa vitam et bona temporalia hominum atque circa obligationes quas homines erga Deum libere contraxerunt. Ita Deus praecepit Abrahae filium innocentem occidere; Israelitis Aegyptios spoliare, Chananaeos omnes exstirpare; Ecclesiae facultatem concessit relaxandi vota. Quae omnia non involvunt mutationem legum non laedendi vitam vel bona proximi nec vota Deo facta; sed arguunt mutationem materiae, quatenus iura proximo vel ipsi Deo acquisita ex supremo Dei dominio remittuntur.

QUAER. 3° *An VERA COLLISIO vel EPIKEIA in lege naturali admittenda sit.*

Resp. Negat. Species enim collisionis vel epikeiae, quae in praedictis casibus habetur, ex hoc oritur, quod praecepta naturalia *inadaequate* enuntiantur. Praecepto enim: *deposita sunt reddenda* proprie addendum foret: *rationabiliter petenti*; praeecepto: *non licet innocentem occidere* addendum: *salvo supremo Dei dominio*. Ideo *apparens* solum collisio atque *apparens* tantum epikeia in praeceptis naturalibus haberi potest, cum revera non unum praeceptum alteri contradicat, sed ex duobus unum coalescat. ¹⁾

136. — III. De dispensatione in lege naturali. *QUAER. 1° An saltem DISPENSARI possit in lege naturali.*

Resp. Disp. 1° Aliqui affirmant *vere et proprie dictam dispensationem* a Deo dari posse ²⁾, ex causis divinae eius Sapientiae relinquendis, in nonnullis praeceptis secundariis legis naturalis, uti in praeceptis unitatis et indissolubilitatis matrimonii; idque comprobant tum ex characterem secundario horum praeceptorum, vi cuius ipsorum observantia naturae humanae non ita necessaria esse videtur, ut ne Deus quidem in ipsis dispensare possit, tum etiam ex eo quod Deus de facto sub lege veteri Israelitis polygamiam atque iuxta multos divortium etiam perfectum permisit.

2° Aliis vero etiam in hisce casibus *mutatio seu subtractio materiae* ideoque dispensatio tantum improprie dicta admittenda videtur; quae mutatio materiae in eo sita est quod Deus vi supremi sui dominii iura uxorum diminuit vel etiam exstinguit.

Ratio huius est quia *ipsa lex naturalis* ob relativam tantum horum praeceptorum necessitatem dicitur, circumstantias aliquando fieri posse tales, ut saltem Deus, ad maius malum vitandum maiusve bonum obtinendum, contrarium permittere possit. Unde haec praecepta proprie adaequate enuntianda essent cum

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 94. a. 4. et 5, qu. 100. a. 3; infra n. 175; Gredt. n. 939. 5.

²⁾ Dispensatio est relaxatio *obligationis* legis a legislatore pro casu particulari concessa, remanente ipsa lege, cuius ergo effectus tantummodo pro illo casu suspenditur, sed quae in se nec tollitur nec mutatur; cfr. infra n. 187.

clausula: *nisi Deus contrarium permiserit*. Unde fit collisio (apparens utique) inter legem et ius unitatis et indissolubilitatis matrimonii et legem atque ius altius divinum de maiori bono procurando. Quod ius ideo Deo eique soli reservatur, quia sola sapientia divina de huiusmodi praeponderantia aequum iudicium ferre potest atque insimul damnis ex tali permissione orituris speciali sua providentia apta afferre remedia. ¹⁾

QUAER. 2^o *Quo sensu ius improprie saltem dispensandi SOLI DEO reservetur.*

Resp. Eo sensu, quod tamen *exercitium* huius iuris Deus potest peragere atque de facto etiam ex parte saltem peragit mediante Ecclesia. Hoc nempe obtinet in iis praeceptis iuris naturalis quae in sua obligatione pendent a praecedente consensu voluntatis humanae. Hoc modo Romanus Pontifex vi potestatis suae vicariae nomine Dei ex iusta causa remittit debitum ortum ex voto, aut dissolvit vinculum matrimonii rati. ²⁾

Notes insuper Ecclesiam posse etiam *authentice et infallibiliter* INTERPRETARI legem naturalem. Sequitur non solum ex munere totum fidei depositum custodiendi, verum etiam ex praerogativa sanctitatis; sancta enim non esset Ecclesia, si posset docere quod honestum non est. ³⁾

Articulus III.

De lege divina positiva.

137. — Notio et divisio. Lex divina positiva est omnis lex quae a Deo legi naturali superadditur.

Dividitur: a) ratione OBJECTI: in legem divinam positivam *per se* vel *per accidens*: prout vel *nova* praecepta superaddit legi naturali, sicut v. g. prohibitio esus carnis cum sanguine (Gen. IX. 4); vel tantummodo praecepta legis naturalis *confirmat*, sicut decalogus facit, praecisa circumstantia Sabbati et lege de non faciendo sculptili.

b) ratione FINIS: in legem ordinis *naturalis* vel legem *supernaturalem*; prout ex se finem ultimum *naturalem* tantum spectat, accuratius determinando praecepta legis naturalis, sicut faciunt praecepta iudicialia legis Mosaicae; vel in finem ultimum *supernaturalem* ordinatur, sicut praeceptum circumcisionis vel Baptismi.

c) ratione TEMPORIS: in legem *primitivam* seu *patriarcharum*, *veterem* seu *Mosaicam*, *novam* seu *Evangelicam*.

Necessitas. *Lex divina positiva est NECESSARIA ad directionem vitae humanae*. Rationes sunt: 1^o quia per legem dirigitur homo in ordine ad

¹⁾ Cfr. Suarez. *De Legibus*. 2. c. 15. n. 26; Lehm. I. n. 235; Marc. n. 123; Sweens. n. 300; Gredt. n. 1025.

²⁾ Cfr. Wernz. *Jus Decr.* I. n. 122; cfr. et S. Alf. n. 139. *lib.* 6. n. 1119, H. A. *tr.* 2. n. 56, *tr.* 18. n. 83.

³⁾ Cfr. Enc. *Casti Connubii*. 31 Dec. 1930. *A. A. S.* 1930. p. 530. Cfr. Bouquillon. *Theol. mor. fund.* n. 76.

finem ultimum ideoque inter legem et finem ultimum proportio adsit necesse est; iamvero, homo de facto destinatur in finem ultimum *supernaturalem*; ergo necessaria ei est etiam lex supernaturalis, nec ipsi sufficiunt lex naturalis et lex humana; 2° quia sine lege divina positiva infirmitas humana circa multas conclusiones legis *naturalis* in errorem duceretur; 3° quia lex positiva *humana* nequit omnia determinare quae ad perfectionem virtutis et ad impeditiōnem mali determinari debent. 1)

138. — I. Lex primitiva. Non adfuit tempore antemosaico *complexus* quidam legum a Deo latorum; nihilominus, praeter actus internos quos ipse ordo supernaturalis atque promissio Redemptoris imponebant, habebatur *sacramentum naturae* pro iustificatione parvulorum per fidem parentum, modo quo ipsis placuit exterius manifestatam; pari modo *matrimonii* perfecta unitas atque indissolubilitas etiam hac lege institutae erant 2); atque post diluvium dabatur aliquod praecceptum, praecipue prohibitio esus carnis cum sanguine, quae prohibitio, sive ex se temporanea fuit, sive oblivione iam diu ante Christum vim suam amisit. 3)

II. Lex Mosaica. Haec lex *qua talis* solos Iudaeos obstringebat. Praecepta eius *moralia*, seclusa circumstantia sabbati et de non faciendo sculptili, *novam* obligationem non imponebant, quum iam ex lege naturali omnes homines ad ea servanda adigerentur; nihilominus Iudaei ea violantes *gravius* peccabant ob contemptum solemnis promulgationis ipsis specialiter factae. *Cessavit* lex Mosaica a morte Domini vel saltem a prima Evangelii promulgatione die Pentecostes, ita ut etiam praecepta eius *moralia* non iam ex promulgatione Mosaica, sed ex Christi confirmatione perfectiva vim suam hauriant; praecepta vero eius *caeremonialia* et *iudicialia* prorsus *mortua* (i. e. omni vi destituta), imo *caeremonialia* paulatim *mortifera* (i. e. peccato superstitionis obnoxia) effecta sint; paulatim, i. e. post sufficientem divulgationem Evangelii in populo iudaico seu post destructionem urbis Jerusalem. 4)

139. — III. Lex Evangelica. 1. *Natura eius. Est vera lex supernaturalis a Christo Domino lata.* Quam plurima enim praecepta Christus durante vita sua publica annuntiavit, atque Apostolis praecipit, ut observantiam mandatorum suorum hominibus commendarent. (Matth. xxviii. 20.) Unde Concilium Tridentinum (*sess. 6. can. 19*) condemnat eos qui affirmant nihil praecceptum esse in Evangelio praeter fidem.

2. *Obiectum legis novae sunt praecepta theologalia, moralia, sacramentalia.* *Theologalia* referuntur ad virtutes theologicas. 5) — *Moralia* legem naturalem in decalogo iam confirmatam renovant, eam ad pristinam integritatem revocant atque perficiunt, additis etiam pluribus *consiliis* quae perfectam mandatorum observantiam procurant et quorum praecipua, paupertas nempe, castitas, obedientia, consilia evangelica vocantur. 6) Ob confirmationem legis naturalis decalogi, christiani eam violantes gravius

1) Cfr. 1. 2. qu. 91. a. 4.

2) Cfr. Matth. xix. 4.

3) Cfr. Gen. c. ix

4) Cfr. 1. 2. qu. 103. a. 4. ad 1.

5) Matth. xxii. 37; Marc. xvi. 16; Luc. x. 27.

6) Matth. v. 17. sequ., xix. 21.

peccant quam infideles legem naturalem transgredientes. — Praecepta demum *sacramentalia* sunt ea quae spectant ad sacramentorum susceptionem et sacrificii oblationem.¹⁾ — Praecepta *iudicialia* Christus immediate non condidit, nisi ita vocare velis ea quae naturam Ecclesiae eiusque potestatem respiciunt²⁾; de cetero vero talium praeceptorum constitutionem auctoritati ecclesiasticae reliquit.

3. *Obligatio legis novae sese extendit ad OMNES homines.* Patet ex verbis Domini: « Docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. » (Matth. XXVIII. 18; cfr. et Marc. XVI. 15; Rom. I. 16.) Attamen solum praeceptum suscipiendi fidem et ingrediendi Ecclesiam per susceptionem Baptismi omnes IMMEDIATE obligat; alia vero MEDIATE tantum, per dictum nempe ingressum in Ecclesiam.

INCEPIT autem obligatio legis novae *objective* quidem inde a cessatione legis veteris i. e. a morte Christi vel saltem a die Pentecostes. *Subjective* vero *successive* tantum homines obligabat, prout in eorum notitiam veniebat. Postquam vero sufficienter divulgata fuerat, etiam ignorantes obligabat, etsi inculpabiliter ignorantes excusarentur a peccato. Tunc ergo etiam circumcisio pro Iudaeis et Sacramentum naturae pro paganis sicut et permissio polygamiae et divortii certo pro omnibus cessarunt.

Quandonam autem Evangelium sufficienter divulgatum fuerit et utrum hoc tempus *idem* fuerit *pro omnibus*, disputatur. Alii putant sufficienter Evangelium divulgatum fuisse per praedicationem Apostolorum usque ad destructionem saltem urbis Jerusalem; alii solutionem quaestionis divinae providentiae relinquunt.³⁾

4. *Perfectio legis novae. Lex Evangelica est perfecta neque alia perfectior in eius locum successura est.* Ita omnes cum S. Thoma. Et assertum probatur ex verbis Domini: « Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt » (Luc. XXI. 33), et: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. » (Matth. XXVIII. 20.) Status enim novae legis successit statui veteris legis, sicut perfectior imperfectiori. Nec potest dari status perfectior statu novae legis, quum nihil possit esse propinquius fini ultimo quam hic status qui immediate in eum introducit.⁴⁾ Confirmatur doctrina damnatione propositionis 5^{ae} in Syllabo Pii IX: « Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subiecta continuo et indefinito progressui, qui humanae rationis progressui respondeat. » Cfr. et Decretum *Lamentabili* 4 Iulii 1907, prop. 21. 59.

5. *Dispensatio proprie dicta in iure divino positivo SOLI DEO reservatur,* quum ex una parte nullatenus pateat Christum Ecclesiae hanc potestatem concessisse, ex altera parte inferior nequeat in lege superioris sine huius concessionem dispensare. Nec dicatur hanc potestatem inclusam esse in facultate solvendi omnia, Petro concessa. (Matth. XVI. 19.) Haec enim non habent sensum indefinitum, sed valent quoad ea quae muneri Petri *necessaria* sunt, inter quae non venit potestas concedendi dispensationem proprie

¹⁾ Jo. III. 5; Luc. XXII. 19; Jo. VI. 54.

²⁾ Matth. XVI. 18. *sequ.*; XVIII. 17. *sequ.*

³⁾ Cfr. Pesch. *de Lege div.* n. 544.

⁴⁾ Cfr. I. 2. qu. 106. a. 4.

dictam in iure divino positivo. — Idem patet percurrendo varia praecepta iuris divini positivi: nemo enim dixerit Ecclesiam proprie dispensare posse in iis quae Christus statuit sive credenda sive agenda circa media salutis, Sacramenta, Sacrificium, constitutionem Ecclesiae. Confirmatur praxi atque partim saltem (quoad Sacramenta) positiva declaratione ipsius Ecclesiae. (Conc. Trid. *sess.* 21. *c.* 2.)

Nihilominus potest Ecclesia auctoritate INTERPRETARI legem divinam positivam atque insuper, vi potestatis vicariae, per remissionem materiae IMPROPRIE DISPENSARE in illo iure divino etiam positivo quod nititur facto humano; eo modo quo supra dictum est circa legem naturalem. Hoc modo improprie dispensat in vinculo matrimonii rati, quatenus ratione Sacramenti firmitas vinculi iure divino positivo augetur.

Demum, incommodum proportionate grave, quod per accidens iungeretur observationi legis divinae positivae, aliquando ab eius obligatione EXCUSARE potest, iuxta infra dicenda *n.* 184.

CAPUT III.

LEGUM HUMANARUM LATIO

Expendemus: 1° quinam possint leges ferre, 2° circa quam materiam, 3° quam necessaria sit promulgatio, 4° num requiratur etiam legis acceptatio a populo.

Articulus I.

Potestas ferendi leges.

140. — I. *Exsistentia potestatis legiferae.* In quavis hominum societate perfecta, sive ecclesiastica sive civili, esse debet potestas legislativa. Etenim omnis hominum societas indiget gubernatione, sine qua summa esset in ea confusio, secundum illud Prov. XI. 14: « Ubi non est gubernator, populus corruet. » Sed gubernator nequit regere populum, nisi per leges; proinde in eo resideat necesse est leges ferendi potestas a Deo ipso collata. — Itaque inquirendum hic est, quinam sint illi, penes quos leges ferendi potestas exsistat; in qua inquisitione respicere debemus ad leges ecclesiasticas et civiles, communes et particulares, et ad mutuam relationem et limites utriusque potestatis.

II. *Subiectum potestatis legiferae in Ecclesia.* 1° Quoad leges ecclesiasticas *communes* potestatem habet: *a)* Summus Pontifex vel solus vel una cum Concilio Generali, prout opportunum iudicaverit. (can. 218. § 1, 222. *sequ.*) — *b)* Congregationes Romanae, sed nonnisi iussu et approbatione

Summi Pontificis; non vero S. Collegium Cardinalium, Sede Apostolica vacante. (can. 241 et 243.)

2° Quoad leges ecclesiasticas *particulares*, potestatem habent: a) *Episcopus* pro dioecesi sua, tum in Synodo, tum extra Synodum, etiam non audito Capitulo (can. 329, 334, 335, 362, 2221);

b) *Concilium plenarium* pro provinciis ecclesiasticis ei a S. Sede subiectis, *provinciale* pro provincia ecclesiastica (can. 281 seq.); sed decreta Conciliorum plenariorum et provincialium a S. C. Conc. recognoscenda sunt (can. 291);

c) *Praelati* qui iurisdictione quasi-episcopali pollent pro sua quasi-dioecesi, ut Vicarii et Praefecti Apostolici et abbates vel praelati *nullius* (can. 294 et 323);

d) Sede vacante *Capitulum* ante deputationem Vicarii et dein *Vicarius Capitularis* pro dioecesi respectiva leges ferre posse videntur, dummodo nihil exinde innovetur (can. 431, 435, 436; S. Alf. n. 104);

e) *Capitula* et aliquando etiam *Superiores* religionum clericalium exemptarum potestatem legiferam exercent iuxta normas propriarum constitutionum. (can. 501.)

NOTA. Limitatur praefatorum particularium legislatorum potestas: a) quod nequeunt leges ferre iuri communi contrarias aut legibus particularibus a S. Pontifice pro ditione eorum latis vel confirmatis dissonas, cum inferior nequeat immutare vel abrogare legem Superioris; b) quod eorum potestas se non extendit ad res gravioris momenti seu *causas maiores*, utpote quae S. Pontifici in signum supremae potestatis reserventur et propter arduitatem suam sublimius tribunal postulent. Cfr. can. 220, 1038. § 2.

III. Subiectum potestatis legiferae in societate civili est illa persona sive physica sive moralis, in qua residet auctoritas civilis suprema alicuius status; eae vero personae quae praesunt provinciis et civitatibus alicuius regni non solent habere nisi facultatem faciendi ordinationes quasdam inferioris rationis quae non leges, sed decreta vel statuta nuncupantur. Cfr. Bouquillon. *l. c. n.* 215.

IV. Mutua relatio et limites potestatis legiferae ecclesiasticae et civilis ex fine et natura utriusque societatis atque, pro Ecclesia, ex voluntate Christi petuntur. Et quum finis Ecclesiae altioris ordinis sit fine societatis civilis, ideo in conflictu ius Ecclesiae ceteris paribus praevallet iuri societatis civilis, atque Ecclesiae est eo in casu limites potestatis civilis auctoritative designare. Insuper Ecclesiae est iudicare de *moralitate* omnium actuum humanorum, etiam socialium, in quantum iis inest ratio peccati (cfr. can. 1553. § 1. 2°) ideoque et hoc modo indirecte saltem irritas declarare potest leges civiles. ¹⁾

¹⁾ Cfr. infra n. 152; Cavagnis. *Institutiones Iuris publici eccl.*⁴ I. cap. III: Vlaming. *Institutiones Iuris eccl. Pars II. Ius publicum*; Rivet. *Quaest. Iuris eccl. publici*. Cfr. et Syllabum Pii IX. *prop.* 39-55; Litt. encycl. Leonis XIII. *Immortale Dei*. 1 Nov. 1885.

*Articulus II.***Materia legis.**

141. — **Regula generalis.** *Materia legis in genere sunt actiones vel omissiones humanae quae conducunt bono communi.*

Hinc in specie: 1° materia legis PRAECEPTIVAE esse potest solus actus *honestus* vel saltem ex se indifferens; qui sit insuper moraliter *possibilis*, ita ut, locorum et temporum ratione habita, non sit observatu nimis difficilis; atque demum *utilis*. (n. 140; H. A. n. 3; 1. 2. qu. 95. a. 3, qu. 97. a. 3. ad 2.)

2° Legis PROHIBITIVAE materia esse possunt actiones etiam natura sua honestae aut indifferentes, in quantum bono communi inconvenientes esse possunt.

3° Lex PERMISSIVA pro obiecto habere potest etiam tolerantiam eius quod de se inhonestum est, ad maiora mala vitanda.

142. — **Quaestiones de nonnullis actibus in specie.** QUAER. 1° *An actus valde ardui et difficiles, aut heroici, possint materia legis esse.*

Resp. Negat. generatim loquendo; lex enim debet esse de moraliter possibilibus communitati; actus autem illi superant communes hominum vires.

Aliquando vero iniungi possunt, nimirum in casibus raris, cum bonum commune id exigit; bonum enim commune privato anteponendum est. Item in hypotesi status libere ab aliquo suscepti, qui ad eiusmodi actus aliquando obstringit.

QUAER. 2° *An praeterita possint esse materia legis humanae.*

Resp. Dist. In quantum lex est *praecipiens* vel *prohibens*, *negative*: repugnat enim vi legis *directiva* attingi actus iam positos. — In quantum lex est *poenalis* vel *irritans*, *affirmative*, dummodo poena sit ordinaria et irritatio fiat circa actus revocabiles vel dubios. — Ut autem lex ecclesiastica respiciat praeterita, requiritur ut *nominatim* in ea de hoc caveatur. (can. 10.)

QUAER. 3° *An actus interni lege humana praescribi possint.*

Resp. Dist. 1° Quando agitur de actibus internis *directe* imponendis, certum est eos non esse materiam legis *civilis*. Utrum sint materia legis ecclesiasticae controvertitur; attamen communius et probabilius similiter negatur.

Certum est apud omnes actus internos a lege civili directe imponi non posse. Rationes sunt, quia: 1° potestas legislativa directe spectat ad *communitatis* regimen, quod directe non nisi actiones externas respicit, quum ipsa etiam communitas humana, utpote externa, directe in finem externum ordinata sit. Ergo directe versari debet circa solos actus externos. 2° Eiusdem potestatis esse debet leges *ferre* et transgressores *iudicare* ac *punire*: si enim legislator non posset esse legum suarum vindex, frustranea ut plurimum esset potestas legislativa; cum ergo non possit de internis iudicare, neque potest de illis legem ferre. Ita S. Thom. 1. 2. qu. 91. a. et 2. 2; qu. 104. a. 5. (n. 100).

Controversia est de lege *ecclesiastica*. Non pauci existimant posse legislatorem ecclesiasticum lege directiva actus mere internos praecipere. Colligunt: 1° ex verbis Christi apud Matth. xvi. 19: « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, » quae verba generalia sunt. 2° Ex ratione; quia Ecclesiae potestas spiritualis est, conducens immediate ad salutem animarum; quare necesse non est ut omnis lex Ecclesiae coactiva sit, sed in pluribus, et semper quidem pro actibus internis, sufficit vis directiva conscientiam ligans, ita ut legis violatio subiciatur poenis legis divinae, per quam omnia peccata prohibentur prohibitione punitiva. ¹⁾

Communior et probabilior sententia negat cum D. Thoma, ob rationes supra allatas: nam actus interni proprie non pertinent ad *communitatem*, sed ad *privatam* uniuscuiusque salutem vel damnationem, quibus sufficienter provisum est per potestatem ad forum internum sacramentale pertinentem. (n. 100.) ²⁾

2° Actus interni possunt *indirecte* praecipiri vel prohiberi lege humana, quatenus nempe intime connectuntur cum actibus externis, sicque necessarii sunt ad actus externos praecipitos recte peragendos; uno verbo quando actus *mixti* sunt. Ratio est, quia id necessario consequitur ex potestate in actus externos.

Porro duplici modo potest actus internus intime connecti cum externo: 1° tamquam *causa* actus externi; unde lex, quae praecipit actum externum, praecipit simul voluntatem illum faciendi; 2° tamquam *conditio* necessaria ad esse physicum vel morale actus externi; v. g. quando praecipitur contractus, iubetur consensus internus ad contractum necessarius; quando praecipitur Sacramenti susceptio, iubetur digna susceptio; quando praecipitur Missa pro populo, iubetur intentio applicandi, etc. (n. 100.)

QUAER. 4° *An actus externi occulti possint esse legis materia.*

Resp. Affirmat.: quia actus occulti revera sunt externi et cognoscibiles, licet per accidens non cognoscantur. Quare plectitur excommunicatione haeresis occulta, irregularitate homicidium occultum (n. 100.) Tales actus tamen cadere solent sub foro interno non-sacramentali.

143. — Nota. 1° Praeter potestatem fori externi et interni non-sacramentalis, accepit Ecclesia a Christo potestatem *fori interni* sacramentalis, qua praecipue hominis causa privata ad Deum agitur; ex hac potestate iurisdictionem in actus internos exercet, et habet proinde potestatem absolvendi a peccatis mere internis, dispensandi in votis mere internis etc.

2° Praelati regulares possunt subditis suis praecipere et prohibere actus mere internos, ad regularem observantiam spectantes, ob votum obedientiae quo religiosus libere se obstrinxit ad obediendum Superiori suo in omnibus, quae secundum regulam et Ordinis consuetudinem praecipuntur. Unde possunt Praelati iubere orationem mentalem, conscientiae examina, applicationem bonorum operum, Sacrificii Missae etc. ³⁾

¹⁾ Elbel. *part. 1. n. 332 sequ.*

²⁾ Cfr. Bened. XIV. *De Syn. lib. 9. c. n. 4.*

³⁾ Cfr. S. C. de Relig. 8 Maii 1911 (*Acta Ap. Sedis* 1914. p. 231); Raus. *De voto obed. n. 104.*

*Articulus III.***Legis promulgatio.**

144. — **Notio.** Promulgatio est externa legis propositio a legislatore communitati facta, secundum formam legitime constitutam, ad legis notitiam et obligationem inducendam. A promulgatione distinguenda est legis *divulgatio*, qua illius notitia ad singulos subditos diffunditur. Statuitur:

I. **Necessitas promulgationis.** *Promulgatio NECESSARIA est, ut lex vim obligandi acquirat.* Ratio, quia lex est regula actuum humanorum; ergo oportet ut applicetur hominibus, qui secundum eam actiones suas componere debent: applicatur autem, cum in eorum notitiam deducitur ex ipsa promulgatione. Ergo promulgatio est necessaria ut lex habeat suam virtutem obligandi. Ita S. Thom. 1. 2. *qu. 90. a. 4. (n. 96.)*

II. **Modus et effectus promulgationis in genere.** *Promulgatio debet esse PUBLICA, ut lex toti communitati possit innotescere.* Ratio, quia lex est regula publica totius communitatis; ergo debet proponi publico modo et communitati accommodato.

Postquam autem promulgata est, lex per se obligat omnes, nisi lex positiva terminum incipiendae obligationis statuerit; quia iam omnia requisita ad obligandam communitatem habet. Illi tamen, quibus inculpabiliter nondum innotuit, in foro *conscientiae* nec peccant legem violando, nec ad poenam obligantur. In foro vero *externo*, postquam facta est promulgatio, et terminus inchoandae obligationi praefixus praeteriit, praesumitur quivis subditus legem scire, ita ut ipsi non patrocinetur excusatio ignorantiae, nisi illam efficaciter et positive probet.

Tempus autem per quod aliqua lex promulgata ex voluntate legislatoris vim suam non exserit, tempus *vacationis* legis dicitur. (*n. 69. 96. H. A. n. 4.*)

III. **Modus et effectus promulgationis legis ecclesiasticae.** 1° LEGES AB APOSTOLICA SEDE latae PROMULGANTUR *per editionem in Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; VIM SUAM EXSERUNT *tantum expletis tribus mensibus a die qui ACTORUM numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.* (*can. 9.*)

Tres menses isti sumendi sunt *prout sunt in calendario* (non ergo ut spatium 90 dierum sed v. g. a 15^o Maii usque ad 15^{um} Augusti = 92 dies); idque ita ut vacatio legis finiatur *incipiente ultimo die* (ergo incipiente 15^o Augusti); aut, si mensis die eiusdem numeri careat (ut v. g. si dies *Actis* appositus est 31^{us} Ianuarii, deest 31^{us} Aprilis) *incipiente ultimo die mensis* (30^{us} Aprilis). Cfr. can 34. § 3. 1^o et 2^o. ¹⁾

¹⁾ Ita etiam Maroto. *Inst. Iuris Can. I. n. 192.*

2° Leges CONCILII PLENARIJ AUT PROVINCIALIS promulgantur et vacant secundum modum ab ipsis Concilii Patribus designandum. (can. 291. § 1.)

3° Leges EPISCOPALES *statim a promulgatione obligare incipiunt*, nisi aliud in ipsis caveatur; MODUS autem promulgationis ab ipsomet Episcopo determinatur. (can. 335. § 2.)

IV. Circa legem civilem varia in variis codicibus statuuntur.¹⁾ *Vacatio* aliqua indicari solet; insuper aliquando distinguitur inter *promulgationem* (quae fit per mandatum exsequendi legem) et publicationem (quae fit per insertionem in folia « officialia »).

Articulus IV.

Legis acceptatio.

145. — Principia. I. *Acceptatio populi PER SE non est necessaria, ut lex iusta obliget*. Ratio est, quia alioquin nulla fere foret potestas legislatorum; si enim populus pro libito parere posset vel recusare legem, legislatores tantum possent quantum vellet populus, quod non tam esset regere populum, quam regi ab eodem. Merito idcirco damnata est ab Alexandro VII *prop.* 28: « Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. » — De lege ecclesiastica res est magis manifesta; quia Pontifex suam potestatem ferendi leges accepit immediate a Christo; quam potestatem Papa, iuxta sententiam hodie multo communiorem, communicat Episcopis pro suis dioecesibus; cfr. can. 8. § 1 et can. 218. § 2. (n. 138. 104. 9°.)

II. *Defectus acceptationis PER ACCIDENS quandoque efficere potest ut lex non obliget*, nimirum per praesumptum legislatoris assensum vel per desuetudinem.

Contingit: 1° si lex est *observatu nimis difficilis*, adeo ut merito praesumatur quod si legislator eas circumstantias cognovisset, legem non tulisset; eo nempe in casu licitum fieri potest ex legitima epikeia observationem legis suspendere, dummodo pro definitiva provisione recurratur ad legislatorem. Cfr. Maroto. *Inst. I. C. n.* 193.

2° Si lex est *contraria consuetudini vigenti*, legislatori ignotae; etiam in eo casu licitum fieri potest eius observationem suspendere, dummodo interim ad legislatorem recurratur pro opportuno remedio. Imo, quod attinet ad leges ecclesiasticas, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares, nisi expressam de istis vel illis mentionem fecerit. (can. 30.)

¹⁾ Cfr. Bouquillon. *Theol. mor. fund.* n. 220; Tanqueray. n. 336; Staatslexicon⁴. V. *Gesetzgebung*. Quoad legem hollandicam: *Grondwet*, art. 72; *Wet houdende algemeene bepalingen*, art. 2; *Provinciale Wet art.* 100, 101; *Gemeentewet*, art. 172 *en vig.*

3° Si *maior pars populi fidelis* legem non recepit; quamvis enim non acceptantes peccent, quamdiu desuetudo praescripta non est, minor tamen pars in eo rerum statu lege non tenetur; quia praesumitur legislator nolle obligare paucos, quando communitas legem non observat.

4° Si lex per *desuetudinem* a maiori parte populi fidelis introductam abrogata fuit, modo desuetudo satisfaciatur conditionibus, infra n. 207 enumerandis. Hoc sensu verum est effatum: « Lex non recepta non obligat. » (n. 139. H. A. n. 11-13.)

Quaestiones. QUAER. 1° *An lex in casibus de quo sub II, obliget* IN DUBIO *num usu recepta sit.*

Resp. Plures negant. At sententia sequenda affirmat, quia, cum constat de lege, ipsa possidet; etenim lex promulgata per se non indiget acceptatione, ut obliget, sed vim obligandi habet donec legitima epikeia certo suspensa vel legitima consuetudine certo abrogata sit. (n. 97.)

QUAER. 2° *An fas sit Episcopis non acceptare leges pontificias.*

Resp. Negat.; Episcopi namque debent obedientiam S. Pontifici, haud secus ac ceteri fideles, imo magis quam ipsi, eo quod exemplum illis praebere debent (cfr. can. 336.) Excipe tamen casum, quo ob locorum adiuncta legem Ecclesiis suis minus accommodatam vel etiam noxiam iudicarent; tunc possunt et debent rationes S. Sedi exponere; interim Pontifex merito praesumitur nolle obligare priusquam rescripserit; deinde eius definitioni acquiescere tenentur. (Bened. XIV. *De Syn. lib. 9. cap. 8.*)

CAPUT IV.

SUBIECTUM LEGIS HUMANAЕ

Disseremus: 1° de subiecto legis generatim; 2° de subiecto legis ecclesiasticae; 3° de subiecto legis civilis.

Articulus I.

Subiectum legis generatim.

146. — **Principium generale.** *Leges humanae obligant omnes et solos legislatoris subditos rationis usu praeditos, pro quibus latae sunt.* Dicitur 1° *legislatoris subditos*; in eos enim tantum potestatem habet: quandonam autem aliquis sit legislatoris subditus, ex constitutione ipsius societatis sive ecclesiasticae sive civilis eruendum est. — Dicitur 2° *rationis usu praeditos*; illi enim soli sunt capaces obligationis moralis, in qua primus essentialis effectus legis consistit. — Dicitur 3° *pro quibus latae sunt*; ut enim subditus *legislatoris* fiat de facto et in actu secundo subiectum alicuius *legis*, legislator eum per legem suam de facto respicere debet.

Quaeritur, *an legislator teneatur legibus suis.*

Resp. Dist. 1° Si est legislator *absolutus*, id est, talis qui in se continet totam potestatem legislativam, disputatur. Iuxta plures non tenetur legibus suis

nisi ex quadam aequitate, quia nemo proprie cogitur a seipso. Tenetur ex aequitate iis legibus, quae ipsi quoque conveniunt: quia recta ratio postulat, ut caput communitatis exemplo praebeat seque corpori conformet. Porro haec obligatio, praeciso gravi scandalo aut gravi iniuria tertii, puta in contractibus, probabiliter non nisi levis est, cum ex sola aequitate oriatur. (n. 154.) — Hoc ergo tantum modo tenetur S. Pontifex legibus mere ecclesiasticis atque Episcopus statutis dioecesanis. Hoc sensu, ut videtur, non enumerantur (in can. 12) inter eos qui prorsus liberi sunt a legibus mere ecclesiasticis.

Alii vero censent legislatorem etiam absolutum *directe vi legis* obligari, quia lex fertur communitati, cuius ipse est pars, utique praecipua. Excipiunt tamen leges poenales. ¹⁾

2^o Sin autem potestas legislativa *pluribus* communis est, v. g. in senatu, capitulo, concilio, certo quilibet tenetur leges observare, quia corpus legislativum quolibet membro suo superius est. Idem valet pro principe *constitutionalis*, quatenus nec ipse est legislator absolutus. Aliquando tamen expresse a nonnullis legibus, saltem quoad vim coactivam, eximitur. ²⁾

Articulus II.

Subiectum legis ecclesiasticae.

Indicabimus prius conditiones, sub quibus homo fit subiectum legis ecclesiasticae in genere; dein conditiones, sub quibus fit subiectum legum generalium vel particularium in specie.

§ I. - SUBIECTUM LEGIS ECCLESIASTICAE IN GENERE.

147. — *Principium.* *Subiectum legis ecclesiasticae in genere sunt omnes et soli BAPTIZATI, qui sufficienti RATIONIS USU gaudent atque insuper SEPTIMUM AETATIS ANNUM expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur.* Sequitur ex can. 12.

Dicitur 1^o: OMNES ET SOLI BAPTIZATI: non ergo *iudaei* vel *infideles* vel *catechumeni*, bene vero *excommunicati* et *haeretici*. Confirmatur can. 87: « *Baptismate* homo constituitur in Ecclesia Christi persona cum omnibus christianorum iuribus et *officiis* ». — Nihilominus personae in *haeresi* natae et educatae legem mere ecclesiasticam transgredientes ob bonam fidem facile excusantur a peccato saltem formali. Num eadem personae *aliquando* excusentur a peccato etiam *materiali*, est quaestio infra perpendenda.

Dicitur 2^o: QUI SUFFICIENTI RATIONIS USU GAUDENT; non ergo infantes usum rationis nondum adepti vel perpetuo amentes vel, uti videtur, quot-

¹⁾ Ita v. g. Bouquillon. l. c. n. 156.

²⁾ Cfr. Sweens. n. 419.

quot usu rationis sunt *habitu* destituti. (cfr. can. 88. § 3.) ¹⁾ Subiiciuntur vero dormientes, perfecte ebrii; quamvis in illo statu a peccato formali excusentur. Imo, etiam semiamentes teneri videntur sicut tenentur debiles spiritu, quamvis ipsorum culpa in transgredienda lege minor sit. (Cfr. can. 2201; 2229. § 3. 2^o.) — Non ergo licet mox enumeratos ad legis transgressionem, etiam materiale tantum, inducere. Licet vero infantes ante usum rationis die festo retinere ab assistentia Missae. — In *dubio* de sufficienti usu rationis, libertas possidet; saepe tamen dubium tolli poterit praesumptione; sic puer, expleto septennio, usum rationis habere praesumitur. (can. 88. § 3.)

Dicitur 3^o: ATQUE INSUPER SEPTIMUM AETATIS ANNUM EXPLEVERUNT. Etiam si ergo puer ante septimum aetatis annum expletum gaudeat usu rationis, non tenetur die dominica assistere Missae, quamvis laudabile sit; uti nec vice versa tenetur, si septimum aetatis annum expleverit quidem, sed usu rationis adhuc careat.

Dicitur 4^o: NISI ALIUD IURE EXPRESSE CAVEATUR. Tam vero, ius aliud statuit: 1^o circa *receptionem Eucharistiae*, quam pueri usum rationis assecuti et sufficienter dispositi *quamprimum*, ergo etiam ante septimum aetatis annum, recipere tenentur. (can. 853-54.)

2^o circa *confessionem sacramentalem*: omnis enim fidelis, usum rationis assecutus, tenetur omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteri. (can. 906.) Nota hic, sicut et in praecedenti casu, intervenire ius divinum.

3^o circa legem *ieiunii*, qua adstringuntur omnes ab expleto vicesimo primo aetatis anno ad inceptum sexagesimum. (can. 1254. § 2.)

4^o circa leges *poenales*; impuberes enim excusantur a poenis latae sententiae (can. 2230), nulla antiqua exceptione retenta. (can. 2342.) Impuber autem censetur: masculus ante decimum quartum, femina ante duodecimum aetatis annum expletum. (can. 88. § 2.)

148. — Quaestiones. QUAER. 1^o *An haeretici origine, in bona fide versantes, a nonnullis saltem legibus ita excusentur, ut NE MATERIALITER QUIDEM peccent eas transgrediendo.*

Resp. Dist. 1^o Certum est eos hoc modo non excusari in legibus *quae directe bono communi inserviunt*, sicuti v. g. sunt leges impedimenta matrimonialia statuentes. In hoc enim casu Ecclesia ob bonum commune merito permittit peccata materialia.

Notes tamen aliquando legislatorem expressis verbis excipere haereticos, uti obtinet in lege circa formam in matrimonii celebratione observandam. (cfr. can. 1099.)

2^o Si agatur de legibus *quae directe sanctificationem privatam spectant*, ut sunt lex abstinentiae et ieiunii et lex assistendi Missae, *disputatur*.

¹⁾ Iuxta aliquos, amentes quoque qui lucida intervalla habent, etiam per ipsa lucida intervalla non subiiciuntur legibus ecclesiasticis; ita Vermeersch. *Theol. Mor.* I. n. 282; Toso. *Normae generales*, p. 37; ast contra videtur can. 2201, ubi delicti incapaces praesumuntur tantum.

Prima sent. *affirmat*. Ratio praecipua est benigna interpretatio mentis legislatoris seu epikeia, qua praesumitur legislator nolle multiplicationem inutilem peccatorum materialium, quibus lex potius in destructionem quam in aedificationem vergit. — Iuxta hanc doctrinam nullum peccatum committitur a catholico qui *sine ulla ratione excusante* die abstinentiae haeretico bonae fidei carnes apponit; *formaliter* vero esui carnis cooperari (v. g. positive incitando) patroni huius sententiae non permittunt, quia nulla ratio adest eo usque extendendi benignam interpretationem mentis legislatoris.¹⁾

Secunda sent. *negat* istam excusationem a peccato etiam materiali; unde iuxta eam requiritur ratio proportionata, ut catholico materialiter cooperari liceat transgressioni haeretici. Favent huic sententiae Breve Benedicti XIV *Singulare Nobis* (9 Febr. 1749) et Pii VII *Tridentina Synodus* (8 Oct. 1803) atque duo responsa S. C. de Prop. Fide (26 Junii 1820: *Collect. n. 747 et 748*). Ex quibus documentis satis efficitur Ecclesiam saltem antea *omnes* haereticos *omnibus* suis legibus adstrictos habuisse, nisi ipsa eos positive ab aliqua lege exceperit. Atvero talis exceptio pro legibus ad sanctificationem individualem spectantibus ad summum dubie tantum probatur. Stante vero tali dubio obligatio *omnium* haereticorum etiam quoad istas leges in possessione permanere videtur.²⁾

Haec altera sententia praeferranda videtur; practice vero parum differt a prima sententia, quum facile adsit ratio excusans in casu, et etiam patroni prioris sententiae cooperationem formalem non permittant.

Quod ad argumentum prioris sententiae attinet, benigna interpretatio mentis legislatoris seu epikeia revera nimis dubia videtur. Etenim epikeiae tunc tantum locus datur, quando legislator *non potuit* aut saltem *non vult* aliquem casum lege sua comprehendere. Sed perbene *potuit* in casu permittere ista peccata materialia: nam Ecclesia directe obligat totam communitatem christianam atque mere permissive se habere potest ad peccatum materiale haereticorum quod exinde *per accidens* sequitur, dum peccatum materiale in casu nullum verum detrimentum affert; secus Ecclesia etiam omnes alios inculpabiliter ignorantibus istas ab iis eximere deberet. Insuper solet haereticos omnes pro foro externo ut haereticos formales considerare, et pro iis utique ratio adest permittendi eorum peccatum, ne scilicet commodum ex sua rebellionem accipere videantur. — Ideo etiam potius praesumendum est Ecclesiam neque *de facto* peccata ista materialia evitare *voluisse*: id, quod praeterea documentis supra citatis satis insinuatur atque aliquatenus confirmari videtur ex novo Codice, qui ne iis quidem in locis, ubi hoc expectaretur, similem exceptionem statuit, imo potius contrarium insinuare videtur. (can. 12. 87. 1253.)

QUAER. 2^o *An dubie baptizati subiiciantur legibus ecclesiasticis.*

Resp. Disputatur. Alii negant aut ad summum subiectionem quamdam pro solo foro externo admittunt. Ratio eorum est, quia lex dubia non obligat. *Atqui*, leges ecclesiasticae in ordine ad dubie baptizatos dubiae sunt: per solum enim Baptismum homines legibus ecclesiasticis subduntur, ideoque per Baptismum dubium dubie tantum istis astringuntur.³⁾

¹⁾ Fautores et rationes huius sententiae vide in *Ned. Kath. Stemmen*, 1903. p. 229-243: *Suntne haeretici legibus Ecclesiae ligati?* auctore D^{re} A. C. Schaepman.

²⁾ Inter recentiores hanc sententiam discrete sustinent Phillips. *Comp. Iuris eccl.*³. p. 508; Wernz. *Ius. Decret.* 1². n. 103; Sweeny² n. 417; Tepe. *Inst. Theol. Mor. gen.* I. n. 401; Vermeersch. *Theol. mor. Princ.* I. n. 280. Plures alii indecisi haerent.

³⁾ Ita Génicot. II. n. 448. *nota*; Hilgenreiner in *Theol.-prakt. Quartalschrift*. 1912. p. 842 seq. Cfr. etiam *N. K. St.* 1913. p. 163.

Alii affirmant, saltem ubi Baptismus certus, sed eius validitas dubia est. Ratio est, quia Baptismus possidet ideoque praesumitur validus, donec contrarium probetur. (cfr. supra n. 87.) Postulat etiam rectum regimen cuiusvis societatis humanae, ut quilibet societati subiaceat, cui ritu externo adscriptus est, donec illa adscriptio probetur invalida; secus etiam gravissima incommoda sequerentur, si quilibet dubitans de valore Baptismi sese legis ecclesiasticae obligationi subtrahere valeret. Neque haec valent pro solo foro externo, sed etiam pro foro interno; « quamdiu non apparet manifeste, ita d'Annibale (I, n. 208), praesumptionem facto falso inniti, pro veritate habetur in utroque foro. » Demum haec sententia facilius quam opposita concordat cum pluribus decisionibus ecclesiasticis postea tractandis.¹⁾ Quam ob rem haec sententia in praxi sequenda videtur.²⁾

§ II. - SUBIECTUM LEGUM GENERALIUM ET PARTICULARIUM IN SPECIE.

149. — Notiones praeviae. I. PERSONARUM SPECIES. Persona quae vicesimum primum aetatis annum explevit, *maior* est; infra hanc aetatem, *minor*. (can. 88. § 1.) — Persona dicitur *incola*, in loco ubi domicilium habet; *advena*, in loco ubi quasi-domicilium habet; *peregrinus*, si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet; *vagus*, si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium. (can. 91.)

II. DOMICILIUM et QUASI-DOMICILIUM. 1^o Domicilium vel quasi-domicilium *personale* seu *proprium* seu *voluntarium*, i. e. quod habetur per habitationem *propriam*, acquiritur modo sequenti: a) domicilium acquiritur *commoratione* in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio *vel* coniuncta sit *cum animo ibi perpetuo manendi*, si nihil inde avocet, *vel* sit protracta *ad decennium completum*. (can. 92. § 1.) — b) Quasi-domicilium acquiritur *commoratione* uti supra, quae *vel* coniuncta sit *cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem*, si nihil inde avocet, *vel* sit *reapse protracta ad maiorem anni partem* (i. e. ad sex saltem menses.)³⁾ (can. 92. § 2.)

2^o Domicilium *legale* seu *necessarium*, i. e. quod habetur per habitationem *alterius* vel ex alia circumstantia, acquiritur: a) *Uxor* a viro legitime non separata, necessario retinet domicilium *virii sui*; nec potest, a viro malitiose deserta, obtinere proprium ac distinctum domicilium, nisi a iudice ecclesiastico obtinuerit separationem perpetuam aut ad tempus indefinitum.⁴⁾ — *Amens* necessario retinet domicilium *curatoris*. — c) *Minor* necessario retinet domicilium *illius cuius potestati subiicitur*. (can. 93. § 1.) — d) *Religiosus professus* habet domicilium domus religiosae cui adscriptus est; novitii vero utuntur iure saecularium.⁵⁾

¹⁾ Cfr. *Collect. de Prop. Fide*². n. 286. 1334. 1338 (cum nota). 1536. 1605. 1746. Cfr. et S. Off. 20 Iulii 1840, apud Wernz. IV. n. 508. not. 33; Feye. *de Imp.*¹ n. 464. Cfr. et can. 1070. § 2; infra tom. II. n. 293. qu. 1.

²⁾ Huic sententiae adhaerent (praeter auctorem in editionibus praecedentibus) Lehmkuhl². II. n. 426; Noldin. III. n. 225; atque, ut videtur, de Smet. in *Coll. Brug.* 1900. p. 201; dein *Nouvelle Revue Théol.* 1900. p. 49-56; Mannajoli. *de Obligationibus... quibus dubie baptizati obstringuntur*. Cfr. etiam Staub. *De Eccl. Christi* II. n. 1307. nota, qui partim consentit.

³⁾ Cfr. Instr. S. Off. 7 Iunii 1867.

⁴⁾ Comm. Cod. Interpr. 14 Iun. 1922. (*A. A. S.* p. 526).

⁵⁾ Cfr. Toso. *de Personis. pars I tom. I.* p. 21; Marc. n. 2150. Ex dictis sequitur aliquem simul habere posse domicilium et quasi-domicilium voluntarium, imo ut videtur duo quasi-domicilia voluntaria; pari modo uxorem vel minorem non infantem posse habere domicilium legale in uno loco et quasi-domicilium

3° a) Domicilium et quasi-domicilium *voluntarium* amittitur *discessione a loco cum animo non revertendi*. (can. 93.)

b) Domicilium *necessarium* solummodo amitti potest cessante titulo subiectionis; uxor vero post mortem mariti, minor maior factus retinet domicilium, donec aperte ostenderit se illi definitive renuntiassse, quod plerumque fit constituendo sibi domicilium proprium.¹⁾

150. — **Principia.** I. OMNES *ubique terrarum tenentur legibus GENERALIBUS quae pro ipsis latae sunt, quaeque vigent in territorio ubi actu versantur*. (cfr. can. 13. § 1. can. 14. § 1. 3°) Leges autem generales eae sunt quae Codice vel libris liturgicis communibus continentur. Leges autem Codice contentae Orientales non respiciunt, nisi de iis legibus agatur quae ex ipsa rei natura etiam eos afficiunt. (can. 1.)²⁾

II. INCOLAE et ADVENAE *actu commorantes in loco domicilii vel quasi-domicilii tenentur insuper legibus PARTICULARIBUS pro territorio suo conditis quae pro ipsis latae sunt*. (can. 13. § 2.) Si vero extra locum domicilii vel quasi-domicilii versantur, peregrini sunt atque principio sequenti subiiciuntur.

III. PEREGRINI *GENERATIM non tenentur legibus PARTICULARIBUS neque proprii neque alieni territorii: tenentur vero legibus GENERALIBUS*. Dicitur *generatim*: etenim 1° *tenentur* istis legibus *particularibus proprii* territorii quarum transgressio ibi nocet aut quae sunt personales (lex tamen non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet: can. 8. § 2.);

2° *pariter tenentur* istis legibus *particularibus alieni* territorii, quae ordini publico consulunt³⁾ vel actuum solemnia determinat;

3° *non tenentur* vero istis, legibus *generalibus* quae in alieno territorio ubi versantur non vigent⁴⁾; si vero solummodo non vigent in proprio territorio, ipsis tenentur in alieno. Ita ex can. 14. § 1.

IV. VAGI *obligantur legibus tam GENERALIBUS quam PARTICULARIBUS, quae vigent in loco in quo versantur*. (can. 14. § 2.)

151. — **Resolutiones.** 1° Gallus tenetur in Italia audire Missam diebus festis ibidem de praecepto communi; e converso, Italus non tenetur in Gallia audire Missam diebus festis ibidem suppressis.

2° Committens in aliena dioecesi peccatum, cui in propria dioecesi censura adnexa est, non autem in ea, in qua peccatum perpetrat, non incurrit in censuram, nisi lex fuerit personalis.

voluntarium in alio; imo videtur admitti posse et quasi-domicilium legale. Plura his de rebus videsis apud Chelodi. *De Personis*. n. 92; Maroto. *Inst. Iuris Can.* I. n. 413; Vermeersch. *Epitomé*. I. n. 167; et praesertim *Ius Pontif.* 1926. p. 34 sequ., p. 112 sequ.

¹⁾ Cfr. Chelodi l. c. n. 94.

²⁾ Cfr. tom. II. n. 17 nota 1 et n. 975. qu. 6; Maroto. l. c. n. 173. 198; Chelodi. *Ius Poenale*. n. 26; Cappello. *De censuris*. n. 22. 456.

³⁾ Leges ordini publico consulentes sunt eae leges quibus non observatis a quovis in territorio versante ipsum regimen communitatis et securitas subditorum in periculo sint seu commune damnum patiantur. Cfr. S. Alf. *lib. I.* n. 160; Michiels. *Normae gen. Iuris Can.* I. p. 317 sequ.

⁴⁾ Si vero substantia legis v. g. abstinentiae ibi viget, sed *modus* observandi eam diversus est, substantia servata peregrinus aut modum proprium aut modum alienum sequi potest. Ita S. C. Conc. 9 Febr. 1924. (*A. A. S.* p. 94).

3° Si in proprio domicilio est festum particulare, hoc servare non tenetur quisquis in alio loco existit, ubi festum non est. Similiter, si quis versatur in alieno loco, ubi est particulare festum, hoc servare non tenetur, secluso scandalo.

4° Si quis mane proficiscitur e loco, ubi non est ieiunium, potest ibi ientare et carnes edere, etsi meridie perventurus sit in suum domicilium in quo est ieiunium; imo, si per secundam refectionem ieiunium fregerit, eo die ieiunare non tenetur quia, fracto semel licite ieiunio, id amplius non obligat; attamen non potest in loco domicilii vesci cibis vetitis, quia haec lex dividua est. (n. 157; Sanch. *Decal. lib. 1. cap. 12. n. 33*; Less. *De iustit. lib. 4. cap. 2. n. 57*.)

5° Si quis mane discedit e loco, ubi ieiunium est, eodemque die certo perventurus ad locum ubi ieiunium non est, probabiliter potest mane ientare, praeciso scandalo; quia, qui potest licite intra diem duas refectiones sumere, non tenetur eo die praecepto ieiunii. Non potest tamen comedere cibos vetitos. (n. 157; Sanch. *loc. cit. n. 34*; Less. *loc. cit. n. 58*.) Similiter si quis discedit e territorio suo, ubi particulare festum est, et perventurus est extra territorium suum antequam ibi ultima Missa celebretur, probabiliter non tenetur Missam audire; quia ante discessum praeceptum nondum urgebat, siquidem ad id tempus differri poterat; postea vero *exemptus* est a lege. (n. 157).

Nemo non videt praxim horum casuum suadendam non esse. (n. 157.)

SCHOLION

De legibus quibus subiiciuntur Orientales.

151^{bis} — Leges sive generales sive speciales Ecclesiae Latinae Ecclesiam Orientalem non obligant, nisi agatur de iis quae ex natura rei vel expressa declaratione eam afficiant. Cfr. can. 1. ¹⁾ Valent ergo pro Orientalibus: 1° leges iuris divini vel apostolici et octo primorum Conciliorum oecumenicorum (ante schisma), nisi quaedam legitime sublatae sunt. — 2° leges quae ad doctrinam fidei et morum referuntur. ²⁾ — 3° leges quae pro ipsis peculiariter latae sunt sive a Sede Apostolica siye a legitima Auctoritate in Ecclesia Orientali. ³⁾ — 4° leges quae respiciunt relationes inter Latinos et Orientales. ⁴⁾ — 5° leges pro quibus id diserte declaratum est, uti sanctiones nonnullorum delictorum. ⁵⁾ — 6° leges quae determinant actu solemnium vel ordini publico consulunt in territorio Latinorum. — 7° leges *stricto* territoriales, v. g. leges reales (ut de electione sepulturae in ecclesia Latinorum.) Vi autem Instruct. S. C. pro re Orient. 26 Sept. 1932 clerici orientales extra propriam regionem versantes in omnibus quae ad disciplinam pertinent subsunt Ordinario loci. ⁶⁾ — 8° leges favorabiles, saltem quotiescumque

¹⁾ Hic canon aequè valet pro orientalibus schismaticis, qui ergo Codici latino non subiiciuntur. Ita Herman in *Period. de re mor.* 1938 p. 7-20; contra Oesterle in *Theol. prakt. Quartalschr.* 1937 p. 680-684 et Dalpiaz in *Apollinaris* 1937 p. 457-459.

²⁾ Tales sunt declarationes iuris divini, sicut etiam leges circa materias in quibus competens est S. Officium, ut damnatio librorum. Cfr. S. C. de Prop. Fide Coll. n. 1640. S. C. Orient. 26 Maii 1928. *A. A. S.* p. 195. Cappello, *De Cens. n. 22*; Chelodi, *De Poenit. n. 26*. Infra II. n. 975. qu. 6°. Orientales tenentur non tantum can. 1396, sed etiam can. 1399. Ita S. C. pro Eccl. orientali; sine die. *A. A. S.* 1944. p. 25.

³⁾ Hae leges generatim sunt personales. Cfr. Maroto. *Inst. I. Can. n. 198*.

⁴⁾ Cfr. II. n. 17 nota 1, ubi omnes canones referuntur.

⁵⁾ Cfr. II. n. 975. qu. 6°.

⁶⁾ *A. A. S.* 1932. p. 344-346 ubi et diversa praescripta circa eorum commorationem extra propriam regionem.

expresse declaratum est, ut obtinuit pro indulgentiis, modo ne repugnent legibus liturgicis Orientalium, ut essent tres Missae in una die. ¹⁾ — Tandem ius Latinorum potest esse fons subsidiarius, ubi norma pro Orientalibus deest.

Nota. — Anno 1929 S. Pont. Pius XI constituit Commissionem Cardinaliciam pro studiis praeparatoriis Codificationis Orientalis; ²⁾ anno autem 1935 idem Pontifex, studiis praeparatoriis absolutis, Commissionem Pontificiam ad redigendum Codicem iuris orientalis constituit. ³⁾

Articulus III.

Subiectum legis civilis.

Spectata natura societatis civilis, cuius ambitus territorio definitur, ita ut plures numero communitates civiles una ab alia independentes habeantur, quaevis communitas civilis seu quodvis regnum necessario cognoscit cives seu membra et non-cives seu *exteros*. Porro, civis fit vel ipsa nativitate vel iure vel cooptatione (naturalizatione) vel annexione. — Dein, tum cives tum exteri possunt esse *praesentes* vel *absentes* territorio. — Ultimo, cives tenentur insuper esse membra sublimioris istius societatis quae est Ecclesia atque in ea alii sunt *clerici*, quibus regere, alii *laici*, quibus regi proprium est. De singulorum subiectione erga leges civiles nonnulla dicamus oportet. ⁴⁾

152. — I. Clerici, etsi vere membra sint societatis civilis, nihilominus non sunt indiscriminatim subiectum capax legis civilis; verum ab ea exempti esse possunt aut *iure divino*, quatenus illud dicitur aliquas leges civiles statui clericali, a Christo instituto, repugnare; aut *iure ecclesiastico*, quatenus illud Ecclesiae vindicat aliquas immunitates, quas ius divinum ob aequitatem quamdam suadet quidem, sed sine interventu Ecclesiae positive non concedit; aut *ipso iure civili*, quatenus liberales eius concessionem ab Ecclesia acceptatae nec postmodum tacite vel expresse ab ea remissae sunt. ⁵⁾

Ita *divino iure Summus Pontifex* est immunis a quavis lege saeculari; omnes vero *clerici* exempti sunt a legibus ea praescribentibus quae cum ipsorum statu non congruunt, uti v. g. *SERVITIUM MILITARE*. Quam exemptionem diserte firmat can. 121: « Clerici omnes a servitio militari, a muneribus et publicis civilibus officiis a statu clericali alienis immunes sint ». ⁶⁾

¹⁾ Pro indulgentiis Cfr. *A. A. S.* IX, p. 399, atque XXVI, p. 302. 317; XXVII, p. 379; pro binatione *A. A. S.* XXVI, p. 181.

²⁾ Cfr. *A. A. S.* XXI, p. 669.

³⁾ Cfr. *A. A. S.* XXVII, p. 306.

⁴⁾ Ecclesia ipsa, utpote ordinis superioris quam societas civilis, nullis prorsus legibus civilibus subiecta est idque non tantum in rebus spiritualibus, sed etiam in temporalibus; huc spectant immunitas *realis* et *localis*, de quibus agunt canonistae. Nihilominus etiam harum immunitatum usu Ecclesia pro re nata abstinere potest; de facto in Codice Iuris Canonici de sola immunitate localis sermo fit. Cfr. can. 1172, *sequ.* praesertim 1179; et supra n. 140. IV. (*Append. de privil.* n. 18).

⁵⁾ Cfr. Bouquillon. *l. c.* n. 244; Laurentius. *Inst. iur. eccl.* n. 102. *sequ.*

⁶⁾ Cfr. Syllabum Pii IX. *prop.* 32; et opusculum editoris: *De Vrijdom der Geestelijken van den krijgsveld, als kerkerlijke en staatk. instelling uiteengezet en verdedigd.*

Iure *ecclesiastico*, suadente saltem iure divino, clerici omnes eximuntur a legibus FORENSIBUS et POENALIBUS, eo modo quo hanc exemptionem statuit can. 120. Cfr. et can. 1553.

Iure *civili*, accedente sanctione iuris canonici, clerici olim etiam quoad bona sua privata immunes erant a legibus TRIBUTARIIS, hodieum vero Ecclesia saltem tacite huic concessioni renuntiasset videtur.¹⁾ Etiam aliis legibus civilibus, statui ipsorum haud incongruis, quoad vim *directivam* clerici passim iam subiecti sunt.²⁾

QUAERITUR *quinam veniant hic nomine clericorum.*

Resp. 1° Ii qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt. (can. 108. 1.) 2° Ii omnes quibus Ecclesia privilegia clericorum communicavit: a. v. religiosi, etiam laici et novitii (can. 614); etiam mulieres (can. 490); atque sodales societatum sive virorum sive mulierum, sine votis publicis ad normam can. 673 vitam religiosorum imitantium. (can. 680.)

153. — II. Ceteri cives, in territorio *praesentes*, subiiciuntur omnibus legibus ceteroquin iustis, quae pro ipsis latae sunt. *Absentes* vero subiecti manent iis legibus, quae respiciunt ipsorum statum civilem, officia, bona, onera in territorio; non vero quae respiciunt ordinem et tranquillitatem publicam neve formam contractuum.

III. Exteri, *praesentes* in territorio alieno (sive domicilio, sive mera habitatione sine animo manendi, sive demum transeundo) subiiciuntur legibus quae respiciunt ordinem et tranquillitatem publicam, bona a se ibi possessa, punctionem delictorum, formam contractuum; non vero legibus quae civilem statum respiciunt. — *Absentes* a territorio alieno subiiciuntur saltem iis legibus quae bona ibi possessa respiciunt. Iure autem *internationali* extra territorium reputantur adeoque ab eius legibus eximuntur *principes* aliarum nationum quacumque de causa in eo degentes, sicut et ipsorum *legati*.³⁾ Bene vero etiam principes aequae ac personae privatae subiiciuntur ipsis placitis iuris gentium seu iuris internationalis, sive naturalis, sive positivi, sive publici, sive privati, nisi diserte excipiantur. Cfr. Sweens. n. 409.

¹⁾ Cfr. *N. K. St.* 1903. p. 100: *De immunitate clericorum a tributis communibus*, auctore Dr. Dirckx.

²⁾ Wernz, I. n. 108.

³⁾ Ita fere Bouquillon. l. c. n. 243, ubi plura utilia.

CAPUT V.

OBLIGATIO LEGIS HUMANAE

154. — Proximus effectus legis est, quod obligationem producit. Obligatio definiri potest: moralis necessitas aliquid agendi vel omit-
tendi ad obtinendum finem virtutis ad quem ordinat lex,¹⁾ et finem ulti-
mum. Expendemus: 1° quam obligationem lex humana inducat; 2° quo
modo ei satisfiat.

Articulus I.

Natura obligationis legis.

Agemus primo de obligatione legis generatim; deinde speciatim de
obligatione legis poenalis, legis irritantis, legis fundatae in praesumptione.

§ I. - OBLIGATIO LEGIS GENERATIM.

155. — I. Exsistentia obligationis. *Omnis lex humana, si quidem iusta
sit, semper et necessario OBLIGAT IN CONSCIENTIA, SALTEM AD ALIQUID.*
Ratio, quia omnis lex in legislatore supponit voluntatem obligandi, per
hanc enim voluntatem differt lex a consilio; atqui ius naturale et divinum
dictant obediendum esse Superiori praecipienti; ergo lex essentialiter obligat
in conscientia.

Neque refert civiles legislatores infideles esse, qui non curant conscientiam; sufficit
enim quod simpliciter obligare volunt, eo ipso oritur obligatio in conscientia, quemad-
modum docet Apost. ad Rom. XIII. 1. 2. 5, loquens de principibus ethnicis: « Omnis anima
potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt,
a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem
resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt... Ideo necessitate subditi estote, non solum
propter iram, sed etiam propter conscientiam ». Ita quoque docuit S. C. de Prop. Fide
23 Iunii 1830. (n. 815.)

Dictum est: 1° *si quidem iusta sit*; nam lex iniusta magis est violentia
quam lex; ideo non obligat, nisi forte propter vitandum scandalum vel
turbationem. Quodsi lex non solum non iusta, sed iniqua sit, nefas est
illam observare; ut enim ait S. Petrus²⁾: « Obedire oportet Deo magis
quam hominibus. » — Est autem lex iusta, tum ex *fine*, quando tendit
ad bonum commune: tum ex *auctore*, quando non excedit potestatem eius:
tum ex *forma*, quando onera subditis imponuntur secundum aequalitatem
proportionis.³⁾

¹⁾ Cfr. 2. 2. qu. 58. a. 3. ad 2.

²⁾ Act. Ap. V. 29.

³⁾ S. Thom. 1. 2. qu. 96. a. 4.

Dictum est: 2^o *obligat in conscientia* seu in foro interno. Non enim est lex proprie dicta, quae unice obligationem mere iuridicam imponit seu pro solo foro externo. Sequitur ex verbis S. Pauli modo citatis et ex natura rei. Ipsa enim lex naturalis homini obligationem imponit in societate vivendi atque tendendi ad huius societatis bonum commune sub directione alicuius auctoritatis; quae quidem obligatio quum ex ipsa lege naturali oriatur, certocertius est obligatio moralis seu in conscientia. Hinc etiam obligatio legum positivarum, quae tamquam determinationes legis naturalis ab auctoritate conduntur ad bonum commune promovendum, eiusdem ordinis moralis esse debent, nisi auctoritas contrarium omnino intenderit. Sed attenda natura morali societatis humanae generatim saltem non convenit condere huiusmodi leges improprie dictas nullo modo, ne ad poenam quidem, in conscientia obligantes.

Dictum est: 3^o *saltem ad aliquid*, etenim *obiectum obligationis diversum est pro diversitate legis*. Sic lex *praeceptiva* obligat ad illud ipsum quod praecipitur; lex *pure poenalis* obligat ad poenam subeundam, si delinquenti imponatur; imo iudicem obligat ut lege determinatam poenam infligat; lex *permissiva* non quidem obligat illum cui favet, sed obligat alios, ne impediant actum lege permissum; lex *irritans* obligat saltem, ut nemo actum irritum defendat tamquam validum.

II. *Tempus obligationis. Lex affirmativa obligat SEMPER, NON TAMEN PRO SEMPER; lex negativa obligat SEMPER ET PRO SEMPER*. Ratio est, quia lex affirmativa pertinet ad faciendum bonum, quod non obligat singulis momentis, sed debito dumtaxat tempore: lex vero negativa pertinet ad declinandum a malo, quod omni tempore necessarium est. (2. 2. qu. 33. a. 2.)

156. — III. *Gravitas obligationis. Lex humana regulariter obligat sub peccato mortali in materia gravi*. Ratio est, quia ex se lex parit obligationem materiae proportionatam, si circa illam absolute feratur, et quivis legislator censetur obligare secundum materiae capacitatem. (H. A. n. 14.)

Dictum est *regulariter*: quia, sicut legislator posset nullam ferre legem, aut rem sub consilio proponere, ita potest ferre legem leviter dumtaxat obligantem, etsi in materia gravi; sic quippe potestatem suam non excedit. Perperam tamen se gereret id faciendo, quando lex est bono communi *necessaria*. (n. 143.)

At rei undique levi legislator gravem obligationem adnectere nequit; tum quia materia parva non est tantae obligationis capax, tum quia esset onus intolerabile et in laqueum conscientiae subditorum. Ideo neque Deus in materia parva sub mortali obligat. — Secus foret, si materia de se levis evaderet gravis propter adiuncta, v. g. propter gravem finem intentum, propter grave scandalum aut commune damnum vitandum: unde praecipuum primis parentibus datum non vescendi unius arboris fructu obligabat sub gravi peccato; ieiunium naturale ante Communionem et secretum sacramentale in re etiam levi graviter obligant. (n. 141. 142. H. A. n. 15.)

IV. Criteria obligationis gravis. Gravitas obligationis sub mortali dependet a voluntate legislatoris; quae voluntas, quando non clare exprimitur, dignoscitur: 1° ex *gravitate moteriae* in se, vel respectu finis intenti, id est, ubi res praecepta ad finem gravis momenti a legislatore intentum multum conducit vel necessaria est; — 2° ex *gravitate poenae* transgressoribus iniunctae, puta si lex ecclesiastica feratur sub poena *latae sententiae* excommunicationis, suspensionis universae, aut ab officio et beneficio ad tempus notabile, interdicti integri, irregularitatis; item, si lex civilis feratur sub poena mortis, mutilationis, exsillii, diuturni carceris, etc.; — 3° ex *severitate verborum*, puta si iussio fiat sub obtestatione divini iudicii, sub indignatione divina, in virtute sanctae obedientiae, sub formali praecepto, et similibus verbis complexis; — 4° ex *sententia Doctorum* quasi communiter ita affirmantium. (n. 144. 146. H. A. n. 15.)

157. — Quaestiones. QUÆR. 1° *Quid iudicandum sit in dubio num lex praecepiat vel suadeat, aut num obliget sub gravi vel sub levi.*

Resp. In eiusmodi dubio aut non obligat, aut non sub gravi; quia libertas possidet. (n. 99.)

QUÆR. 2° *Quid agentium in dubio an Superior sit legitimus.*

Resp. Parendum illi est, quando pacifice possidet potestatem suam: quia in dubio melior est conditio possidentis. (n. 98. *Lib. 4. n. 47. dub. 2.*)

QUÆR. 3° *Num obtemperandum sit Superiori, in dubio an non potestatem suam excedat, aut res praecepta illicita sive iniusta sit.*

Resp. Affirm., generatim loquendo; quia Superior est in possessione potestatis suae, qua spoliari non potest in solo dubio de recto eiusdem usu. Excipe: 1° si praeceptum esset observatu *nimis difficile*; 2° si obtemperatio *grave damnum* afferret subdito vel tertio. Ratio est, quia in hisce casibus ius certum moderatae tutelae, quod subditi possident contra nimia onera et contra gravia damna, praevalet Superioris possessioni. Imo si grave damnum tertii, praesertim communitatis, interveniret, non *licet* obedire, quia iniustum est pro iure dubio Superioris laedere ius certum alterius. *Ita communiter.* (n. 98-100. *qu. 3. 139; lib. 3. n. 617. qu. 5; lib. 4. n. 47; lib. 6. n. 320. dub. 3.*)¹⁾

§ II. - OBLIGATIO LEGIS POENALIS.

158. — Notio et divisio legis poenalis. Lex poenalis est lex quae poenam statuit; poena autem est malum aliquod ob culpam commissam a legitima auctoritate inflictum.²⁾ Duplex est lex poenalis: mixta et pure poenalis. Mixta ea est quae in conscientia obligat et ad aliquid observandum et, in casu non observantiae, ad poenam luendam; pure poenalis ea est quae in conscientia ad solam poenam obligat. In priori casu habetur poena proprie dicta, ob culpam scil. *moralem* inflicta, ob transgressionem legis proprie

¹⁾ Cfr. can. 2219. § 2. infra n. 175. 201. 830. 836.

²⁾ Quoad poenam in iure eccl. cfr. can. 2215 infra II. n. 958.

dictae seu in conscientia obligantis; in altero casu habetur poena late dicta, inflicta ob culpam mere iuridicam, ob transgressionem scil. legis improprie dictae, seu ordinationis non in conscientia obligantis.

Aliqui voluerunt legem pure poenalem necessario debere esse disiunctivam, ita ut subditus pro libitu inter observantiam rei praescriptae et poenam luendam eligere possit et debeat ¹⁾. Sed id ad summum pro foro conscientiae verum est ²⁾. Neque facile legislator talem liberam optionem permittet; quum ei non soleat esse indifferens ipsa rei praescriptae observantia. Neque esset lex stricte pure poenalis; quum conditionate rem praescriptam in conscientia imponeret. ³⁾

Alii naturam legis pure poenalis ita explicant, ut subditus in conscientia obligetur solummodo ad non resistendum poenae applicationi, non vero ad poenam subeundam, ita ut huic sese subtrahere licitum sit. ⁴⁾ Sed tunc haberetur solummodo lex sensu lato; quum *qua talis* nullam obligationem in conscientia induceret; id quod tamen iuxta dicta supra n. 155 ad naturam verae legis pertinet. Ita saltem quoad transgressores; ii enim qui legem applicare debent, ad hoc tenentur in conscientia.

159. — Principia. I. Possibilitas iuridica legum poenaliu. 1^o *Leges poenales miatae institui possunt*. Ita hodie omnes et patet ex praxi atque aestimatione communi. Neque obstat eo in casu duplicem dari sanctionem, divinam et humanam. Duplex enim etiam est reatus, in foro interno et externo; neque semper sola sanctio divina sufficit, in iis scil. qui de altera vita non curant. (n. 147.) ⁵⁾

2^o *Neque leges pure poenales condi repugnat*. Ita communiter contra paucos. ⁶⁾ Etenim, ut habeatur lex sensu proprio, requiritur et sufficit quod legislator ad eius obiectum specificum obligare velit et possit in conscientia. Obiectum autem specificum legis mere poenalis *ut sic*, ad quod legislator vult obligare in conscientia, est sola poena subeunda; ideo praecise lex vocatur mere poenalis. Ad solam autem poenam legislator aliquando rationabiliter obligare potest. Poena enim perterriti subditi communiter iam legislatoris ordinationes in bonum commune tendentes adimplebunt; qui vero eas non adimplent, saepe modo suo ad bonum commune conferunt poenam luendo, ut solvendo multas aliaque praestando. Tali modo etiam evitatur, ne subditi nimio peccati atque damnationis aeternae periculo exponantur. Idque praesertim evitare convenit, ubi agitur de ma-

¹⁾ Ita Wernz, d'Annibale, Bouquillon. Cfr. Jansen in *Ius Pont.* 1924. p. 117.

²⁾ Ita Maroto. *Inst. I. C. I.* n. 221.

³⁾ Nuperrime affinis quidam conceptus propositus est in *Angelicum* 1941. p. 379 et 1947 p. 285, vi cuius lex poenalis, utpote de circumstantiis secundariis et minoris momenti vitae socialis, obligaret quidem in conscientia ad tales actus, ita tamen ut subditus ipse sese dispensare possit, si id iudicet utile, per modum epichiae cum onere nihilominus subeundi poenam semel impositam. Sed missis aliis talis generatim non videtur esse mens legislatorum; neque iam esset lex mere poenalis.

⁴⁾ Ita Ledrus in *N. Rev. Theol.* 1932. p. 45; Vermeersch *Mor. I.* n. 172.

⁵⁾ Merito ergo relicta sententia Navarri et nonnullorum aliorum antiquorum, iuxta quam poena adiecta per se legem efficeret pure poenalem. Cfr. S. Alf. 1. c. — Inquisitionem historicam de origine et evolutione doctrinae de lege pure poenali usque ad saec. XVI vide apud *Eph. Lovan.* 1939. p. 383-429.

⁶⁾ Pauci isti sunt praesertim, post S. Rob. Bellarminum, Koch in *Tüb. Qu.* 1900. p. 204; 1902. p. 400; Renard. *La théorie des leges mere poenales*, Gillet. *Conscience chrét. et just. sociale*; Brisbois in *N. R. Théol.* 1938. p. 1072; Allen in *Eccl. Rev.* 1939. p. 312.

teria mere civili et externa, administrativa et technica, ex se indifferenti in ordine morali. Tandem, huius sententiae probabilitas implicite agnosci videtur in Instr. S. C. de Prop. Fide 23 Iunii 1830 circa leges opii commercium vetantes.¹⁾ (n. 145.)

Corollaria. 1° Non res a legislatore ordinata est obiectum legis pure poenalis, prout est lex proprie dicta seu in conscientia obligans. Quamvis enim talis res sit primarie intenta a legislatore, tamen est solummodo obiectum legis improprie dictae, utpote non in conscientia obligantis, atque intentum tamquam effectus legis proprie dictae poenam comminantis. Ex hoc enim quod effectus ille primarie intentus est utilis vel necessarius bono communi, nondum fit obiectum legis in conscientia obligantis; sed intervenire debet voluntas legislatoris. Id sequitur ex natura legis positivae, quae praecise voluntate legislatoris superadditur legi naturali.

2° Neque dicendum cum nonnullis, non esse in potestate legislatoris mutare legis naturam, quippe quae obligationem in conscientia postulet. Lex enim pure poenalis revera obligat in conscientia ad poenam subeundam; ordinatio vero cui poena annectitur non est nisi lex improprie dicta.

3° Nec dicendum poenam sine culpa dari non posse. Poena utique sensu stricto, ob culpam moralem, in casu non datur; sed datur poena sensu lato, ob culpam mere iuridicam seu externam, ad adigendos subditos ut servant ea quae legislator, etsi non sub culpa morali, exigit. Et satis consonat antiqua regula iuris 23 in 6°: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus ».

4° Ex dictis patet a fortiori legem poenalem disiunctivam esse possibilem. Neque videtur repugnare lex pure poenalis, solummodo obligans ad non resistendum applicationi poenae vel poenitentiae; saltem in iis quae ad ordinem mere externum vel etiam ad maiorem perfectionem vitae christianae spectant; sed non erit lex proprie dicta.

II. Criteria ad discernendas leges poenales mixtas a pure poenalibus.

1° Ante omnia attendendum est ad explicitam voluntatem legislatoris; quae si deest vel dubia est:

2° Generalis quaedam datur praesumptio pro lege poenali mixta; solent enim legislatores uti plenitudine potestatis suae. Quae quidem praesumptio aliquando confirmatur, aliquando diminuitur vel tollitur praesumptione quadam particulari. Porro:

3° Lex praesumenda est *mixta*, a) si legis materia *moralis* est, directe pertinens ad bonos mores et ad pacem publicam; b) si poena est proportio-nata quidem, attamen valde gravis; ita saltem ordinarie.

4° Lex praesumenda est *mere poenalis*, a) si legis materia est mere civilis et parum refert ad bonos mores et poena *prorsus* excedit culpam. Tunc mere coactive procedere creditur legislator; non enim admitti potest eum eo in casu velle insuper urgere voluntatem suam sub poena damnationis aeternae; b) si legislator utatur verbis mere poenalibus, nec aliunde clare colligi possit eum velle etiam ad actum obligare; c) si legem ita consuetudo

¹⁾ Coll. n. 815.

seu praxis aut Doctores interpretantur; etiamsi initio alia fuerit legislatoris intentio; hanc enim ille rationabiliter sustinere nequit, si vergat in solum gravamen magis timoratorum (n. 445.)

5° Si quaestio hisce praesumptionibus solvi nequit, in dubio negativo atque in dubio etiam positivo de cessatione obligationis in conscientia quoad ipsum actum, practice habenda erit mixta; in dubio positivo num umquam exstiterit talis obligatio, practice ut pure poenalis haberi potest; attentis scil. principiis reflexis nostris. (*lib. 3. n. 616.*)¹⁾

III. Existentia legum pure poenaliu. 1° *Leges poenales ecclesiasticae communes seu universales sunt mixtae.* Nulla enim probabilis ratio in contrarium allegari potest. Accedit quod materia canonum solet esse moralis; tandem plurimae poenae spirituales sunt, ideoque praeviam culpam coram Deo exigunt. Imo, ipse Codex I. C. pro quibusvis suis poenis imputabilitatem moralem seu culpam coram Deo exigit. (cfr. can. 2195 et can. 2233.)

2° *Etiam leges poenales ecclesiasticae particulares solent esse mixtae.* Attamen, olim Conc. Toletanum anno 1355 habitum constitutiones provinciales non ad culpam, sed ad solam poenam obligare statuit, ne fideles culpae pondere onerarentur.²⁾ Idem declaratur in pluribus constitutionibus ordinum religiosorum aliorumque institutorum clericalium exemptorum, quamquam in eis vera potestas iurisdictionis ad condendas leges invenitur.³⁾

3° *Nonnullae saltem leges civiles etiam hodie, in pluribus regionibus, practice pure poenales haberi possunt, attentis criteriis supra indicatis.* Ita facile leges politiae et securitatis publicae, ob indolem mere civilem et poenam secus exorbitantem; leges prohibentes piscationem, venationem vel lignationem in silvis communibus, ex consuetudine vel Doctorum interpretatione; leges imponentes vectigalia pro mercibus importandis, saltem si fit ad usum proprium, praesertim a parte pauperum;⁴⁾ lex conscriptionis militaris, eo modo quo explicatur infra n. 836, ob communem populi acceptionem et poenae adnexae gravitatem; lex restringens productionem, importationem, venditionem potus alcoolici, saltem ex parte; prohibitio mendicationis.

Sunt qui negent hodie dari leges poenales, quia intentio legislatorum hodiernorum restringendi obligationem in conscientia ad solam poenam probari nequeat, imo necessario desit, ideo praecise « quia legislatores hodierni ab ordine morali in suis legibus ferendis magna ex parte praeseindunt. »⁵⁾ Sed haec assertio nimis generalis et dubia videtur; dein, ut ipsamet concedit, non *omni* ex parte legislator ab ordine morali praeseindit. Insuper, sufficit intentio *implicita* ita restringendi obligationem, qualis aliquando cum sufficienti probabilitate erui potest ex praesumptionibus supra recensitis. Tandem, si legis-

¹⁾ Cfr. Wouters I. n. 163.

²⁾ Cfr. van Hove. *De legibus eccl. n. 148.*

³⁾ Prima vice ita stabilitur in Const. Ord. Praed; quamvis aliqui hisce *omnem* obligationem in conscientia abnegent. Cfr. *Rev. des Sc. phil. et théol.* 1935. p. 107. Cfr. etiam S. Thom. II. II. qu. 186. a. 9. ad 2.

⁴⁾ Cfr. infra n. 832. qu. 1.

⁵⁾ Ita Lopez in *Per. de re mor.* 1938. p. 213. 1940. p. 23.

lator *positive* praescindit ab ordine morali, id aequè bene aliquando videtur esse signum, eum in ordine conscientiae obligare nolle, sed mere externe, iuridice, coactive procedere. Quapropter doctrina communis moralistarum hodiernorum adhuc practice saltem probabilis videtur.

160. — Notanda pro praxi. 1° Confessarius non nimis facile nec imprudenter leges civiles pure poenales proclamet, etiamsi aliquae revera ita esse videantur; ne scandalum praebeat, vel ministris Ecclesiae, imo ipsi Ecclesiae odia et calumnias suscitet. Imo, generatim observantiam legum civilium inculcet, prout D. Paulus et ipse Christus Dominus fecerunt; eo vel magis quod, quidquid est de intentione legislatoris, saepe aderit, ex toto vel ex parte, obligatio naturalis. Ita obtinet in legibus de pretio legali, foenere, servitutibus, dominio coniugum, filiorum, auctorum; defensione patriae, praescriptione, hereditate et contractibus, recto ordine socialioeconomico, tributis; quippe quae mere explicent vel determinent ipsum ius naturale. ¹⁾

2° Neque facile religiosus regulas vel constitutiones voluntarie transgrediens ideo ab omni culpa morali immunis habetur, quod illae declarant se non obligare sub peccato. Si enim ita agat religiosus sine iusta causa vel legitima dispensatione, practice vix non peccabit ob motivum inordinatum vel scandalum datum. ²⁾ Neque tamen regula talis evadit inutilis; praeterquam enim quod recto ordini prospicit, maioris meriti erit observare ea quae in se non sub peccato obligant; magis convenit talis dispositio dignitati status perfectionis qui est iugum libere pro Domino susceptum; praecavent peccata materialia quae in involuntaria transgressione habentur quaeque in tanta multitudine praescriptorum facile committerentur atque obiective veras ordinationes constituerent; transgressores minorem culpam eamque indirecte tantum coram Deo contrahunt; scrupulis minor ansa praebetur; tandem, si regulae sub peccato etiam mortali obligarent, debilioribus et tepidis facile in gravem laqueum conscientiae vergerent.

§ III. - OBLIGATIO LEGIS IRRITANTIS.

161. — Notiones. Lex irritans 1° alia est *directe* irritans, quando actum absolute irritum pronuntiat: alia *indirecte* irritans, quando certam formam aut solemnitatem in actu servandam praescribit, ita ut sine tali forma actus non subsistat: alia *inhabilitans*, quando personam aliquam ad aliquem actum valide ponendum inhabilem declarat.

2° Irritatio est vel *lata*, quando actus *ipso iure* nullus declaratur ita ut non indigeat sententia iudicis, vel etiam a iudice vi legis irritus ab initio fuisse declarari debeat, ita ut sententia vim retroactivam habeat;

¹⁾ Cfr. Salsmans in *N. R. Théol.* 1928. p. 139.

²⁾ Cfr. *infra* n. 1228. II.

vel *ferenda*, quando actus solum per sententiam iudicis irritandus pronuntiatur. ¹⁾

3^o Lex est vel *pure irritans*, vel *simul prohibens*, prout actum vel rescindit tantum, vel simul etiam prohibet.

4^o Lex est irritans aut in *utroque* foro, aut in solo foro *externo*, ita ut assistentia civilis actui denegetur, vel auferendo actionem vel reo praebendo exceptionem qua actorem repellat. ²⁾

162. — Principia. I. *Lex PURE irritans non obligat in conscientia ad vitandum actum irritum*. Ratio est, quia finis legis sola actus annullatione satis obtinetur. — Unde, quamvis lex irritet testamentum sine certis solemnitatibus factum, vel matrimonium ex gravi metu contractum, non tamen prohibet.

II. *Lex irritans, SI ACTUM SIMUL PROHIBEAT, obligat in conscientia ad talem actum vel omittendum, si DIRECTE illum irritet, vel non sine forma substantiali faciendum, si INDIRECTE eum rescindat*. Ratio est praeceptum negativum in eiusmodi lege contentum. — Prohibet autem actum, quando talem prohibitionem vel materia legis suapte natura postulat, vel lex satis exprimit.

Hinc peccatum grave est sponte matrimonium contrahere cum impedimento dirimente; Sacramentum sine debita materia et forma conficere: professionem religiosam emittere, omissis conditionibus ab Ecclesia ad eiusdem valorem requisitis. — Idem dicendum quoties quis ex officio vel ex iustitia actum facere tenetur.

III. *Lex irritans, simul ut actum irritat, obligat ad omnia, QUAE EX IRRITATIONE INTRINSECE NASCUNTUR*. Ratio est, quia, ruente actu, corruunt omnia quae ex illo oriri aut in illo fundari poterant. ³⁾

IV. *IGNORANTIA INVINCIBILIS aut NECESSITAS generatim saltem non impedit effectum legis irritantis*. Ratio est, quia, quamvis possint culpam impedire et poenam, impedire tamen nequeunt vim legis irritantis, utpote cuius effectus ad conscientiam neququam pertinet. Unde invalidum est matrimonium cum affine, etiamsi impedimentum ignoratum fuerit, aut etiamsi coniugium ex metu infamiae initum sit. Unde etiam dicit can. 16. § 1: « Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur. »

Dicitur: *generatim saltem*; etenim si irritatio unice vel primario per modum poenae statuitur, effectu caret si culpa, ob ignorantiam vel aliam causam, deest. ⁴⁾ — Pari modo, aliquando necessitas potest esse talis, ut locus detur epikeiae. ⁵⁾

¹⁾ Cfr. Maroto. n. 224 sub 2^o.

²⁾ Cfr. Vermeersch. *Théol. Mor.* I; Maroto. l. c. sub 1^o, ubi plura utilia, et n. 180. — *Exceptio* in iudicio vocatur defensio, qua actio adversarii excluditur, opponendo nempe aliquid, ob quod efficacitate sua privatur, e. g. opponendo personae inhabilitatem, vitium formae, praescriptionem, solutionem, etc.

³⁾ Cfr. Suarez. *de leg. lib.* 5. cap. 20. n. 14.

⁴⁾ Cfr. infra n. 182. II. 965; Sweens. n. 380, 3; Maroto. n. 231.

⁵⁾ Cfr. infra n. 176. II. Maroto. n. 243.

163. — Quaestiones. QUAER. 1^o *Quomodo leges irritantes ECCLESIAE dignosci possint.*

Resp. Leges Ecclesiae eae tantum irritantes aut inhabilitantes habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam *expresse* vel *aequivalenter* statuitur. (can. 11.) In *dubio* autem, si agatur de dubio *iuris*, non urgent; si de dubio *facti*, potest *Ordinarius* in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet. (can. 15; cfr. quoque can. 1679-1683.)

QUAER. 2^o *An lex civilis irritans actum sive contractum temporalem, effectum habeat in foro conscientiae ANTE IUDICIS SENTENTIAM.*

Resp. Hoc omnino dependet ab ipsa lege civili, quae certo *potest* ita irritare, ut iam ante iudicis sententiam irritatio vim habeat in foro conscientiae. Utrum hoc fecerit necne, in singulis regionibus pro singulis casibus videndum est.

Practice autem pro *plerisque* regionibus dici posse videtur actum a lege civili irritatum, si iure naturae validus sit, *generatim* efficaciam sed infirmam habere et retinere, donec sententia iudicis irritus declaratus fuerit: ast post sententiam iudicis in utroque foro irritum esse. Ita hodieum theologi communiter. (n. 151; lib. 3. n. 711. 927.)

Rationes autem sunt: 1^o quia vox *nullitatis* ambigua est, quippe quae tam nullitatem absolutam quam post iudicis sententiam aut denegationem assistentiae civilis designare possit et de facto in Codicibus designet; 2^o quia iurisperitorum opiniones hac in re valde discrepant; 3^o quia in legibus hodiernis saepe saltem obligatio conscientiae immediata non videtur necessario admittenda, si finis legis eam non exigit. 1) Hisce attentis nullitas actuum ex se efficacium ante sententiam iudicis in plerisque regionibus saltem dubia redditur ideoque practice non existit, quum in dubio leges irritantes, utpote odiosae, strictae interpretationi subiaceant. Quare hodie theologi ita communiter docent, quamvis olim hac de re inter eos controversia fuerit. (n. 151; lib. 3. n. 711. 927.)

QUAER. 3^o *Quid in specie dicendum de TESTAMENTO irritato ob defectum formae.*

Resp. Dicta in praecedenti quaestione de omni actu civili speciatim valent de testamento. 2) Unde infertur pro praxi: 1^o Heres *testamentarius* tuta conscientia potest hereditatem adire et retinere; similiter *legatarius* legatum petere et retinere, quin heredes legales de testamenti vitio moneat. Potest quoque ius suum coram iudice iustis mediis defendere; attamen, si praevideat fore ut testamentum a iudice irritum sive inefficax declaretur, *ex caritate* debet sine iudicis sententia hereditatem tradere heredi legali eam petenti, ne hunc ad litis impensas inutiliter compellat. Dico *ex caritate*: quia donec testamentum rescissum non est, *ius* habet qua heres litem agendi.

2^o Heres *ab intestato* tuta conscientia potest ius suum, quod ex lege habet, omni legitimo iuris adminiculo defendere; proinde a) *excipiendo* testamenti vitium obicere, et hereditatem vel legatum non tradere; vel b) *agendo* coram iudice vitium testamenti probare ut hereditatem sibi evincat.

1) Cfr. Lehmkühl. *Das Bürgerliche Gesetzbuch*. p. 35. Cfr. etiam infra n. 648.

2) Cfr. Lehmkühl. 1¹². n. 1382; Marres. *De Iust. I. lib. I. n. 368. sequ.*

§ IV. - OBLIGATIO LEGIS FUNDATAE IN PRAESUMPTIONE.

164. — Notio. Lex fundata in praesumptione est lex quae supponit aliquid, nimirum vel periculum aliquod universale, vel factum aliquod particulare.

Divisio. Potest ergo lex in duplici praesumptione fundari, nimirum: 1° in praesumptione *periculi communis*, quando supponit in tali actione communiter dari periculum fraudis aut delicti, quamvis forte non in omni casu particulari interveniat: v. g. lex requirens testamentorum solemnitates; 2° in praesumptione *facti particularis*, quando supponit culpam, negligentiam, vel aliud factum particulare reipsa existere: v. g. lex praecipiens obedire sententiae iudicis supponit eam iustam esse.

165. — Principia. I. *Lex fundata in praesumptione PERICULI vim et effectum suum habet, etiamsi in casu particulari periculum non subsit.* Ratio est, quia tunc ex una parte praesumptio legis non est falsa, ideoque lex non caret fundamento obligandi; lex enim supponit communiter dari periculum, quod verissimum est, licet in casu particulari non subsit. Ex altera parte, cessante legis fine in particulari, non hoc ipso cessat lex, ut habet communis sententia. Confirmatur canone 21, qui sic sonat: «Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit.» (n. 100. in fine. H. A. n. 26.)

II. *Lex fundata in praesumptione FACTI vim et effectum suum non habet, si factum non exstat.* Ratio est, quia, deficiente veritate facti, lex caret omni fundamento: inde axioma: «Praesumptio cedit veritati.»

Haec principia valent etiam de *sententia iudicis*: quia legem applicat.

166. — Resolutiones. 1° Si testamentum informe sententia iudicis irritum declaretur, huic sententiae obtemperandum est, etiamsi in casu nulla fraus intervenierit.

2° Lex prohibens et irritans matrimonia clandestina obligat et effectum suum producit, quamvis in casu particulari fraus nulla interveniat. (n. 100.)

3° Similiter lex quorundam librorum lectionem vetans ob pericula obligat omnes, etiamsi nonnulli tam docti et pii sint, ut respectu illorum nullum subsit periculum. (n. 199.)

4° Si sententia iudicis virum obliget ad cohabitandum maritaliter cum uxore, quacum validum coniugium contraxisse falso praesumitur, vir parere non tenetur; quia iussio praesumit factum, nempe validum matrimonium, quod non subsistit.

5° Si in iudicio probatum falso fuerit quemquam alteri damnum intulisse, isque per iudicis sententiam condemnetur ad poenam, non tenetur in conscientia poenam solvere: et, quamvis *exterius* parere debeat ad vitandum scandalum, potest deinde occulte se compensare.

Nota. Aliquando finis legis fundatae in praesumptione *facti* non tantum est praevenire et punire culpam *moralem*, verum etiam homines *cautiores* reddere,

puniendo etiam culpam *mere iuridicam*. Eo in casu si persona aliqua revera fuerit damni causa, sed falso praesumatur id ipsius culpa morali evenisse, post sententiam iudicis tenetur poenam solvere. (n. 100. H. A. n. 26.)

Articulus II.

Modus adimplendi legem.

167. — **Principia.** I. *Praeceptis* NEGATIVIS *satisfit non ponendo actum vetitum*; nullum enim actum positivum requirunt.

II. *Ad satisfaciendum legi* AFFIRMATIVAE *requiritur et sufficit positio voluntaria operis praecepti, tempore praescripto, et cum animo faciendi id quod lex iubet. Requiritur, quia praecipitur actus humanus; sufficit, quia lex iubet dumtaxat materiam, in quam cadit.* (n. 165; lib. 4. n. 176.)

Non ergo requiritur motivum caritatis, neque status gratiae, neque intentio satisfaciendi praecepto, neque intentio consequendi finem legislatoris. Unde invaluit axioma: « Finis praecepti non cadit sub praecepto ». Ratio est, quia haec omnia sunt extra materiam legis. Confirmatur damnatione prop. 16. Baii: « Non est vera legis obedientia, quae fit sine caritate; » et definitione Conc. Trid. sess. 6. can. 7: « Si quis dixerit opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata... anathema sit. »

Tum solum status gratiae necessarius est, cum ad operis praecepti substantiam pertinet; unde non satisfit Communionis praecepto per Communionem sacrilegam. Cfr. prop. 14. damn. ab Alex. VII; cfr. et can. 907 et can. 861. (n. 162. 163.)

168. — **Resolutiones.** I. SATISFACIT praecepto: 1° Qui *concomitanter* peccat, puta adiungendo actui pravam intentionem, naturae actus extrinsecam, v. g. inanem gloriam; quia, hoc non obstante, ponitur actus praeceptus.

2° Qui ieiunii formam observat, quamvis laute comedat et in statu peccati ieiunet, ita ut nec satisfaciat pro peccatis, nec corpus maceret, et sic ieiunii finem non curet.

3° Qui tempore paschali ex solita pietate confitetur et communicat, nihil cogitans de praecepto.

4° Qui die Dominica cum debita attentione assistit Missae, tametsi simul propter alium finem vel pravam circumstantiam peccet, puta ut vanam gloriam captet, ut oculos luxuriose pascat, ut quidpiam furetur.

5° Iuvenis, qui Missam bene audit, quam tamen non audisset, nisi parentum minis coactus fuisset. (n. 165. H. A. n. 26.)

II. NON SATISFACIT praecepto: 1° Qui Missae interest dormiens, ebrius, sui impos, aut nescius quid fiat.

2° Qui Missae assistit aut ieiunat prorsus coactus, puta in primo casu vi detentus in ecclesia, in altero casu privatus cibo.

3° Qui tempore Missae ecclesiam adit, *unice* ut oculos pascat, ecclesiam perlustret, sine attentione ad Missam. (n. 165.)

III. Cum sententia communissima Doctorum affirmandum est eum qui voluntarie quidem ponit opus praeceptum, sed *cum expressa intentione non satisfaciendi praecepto*, revera praecepto satisfacere; quia, qui sponte implet opus praeceptum, vere exsequitur totum id, quod legislator iubet. Nec obstat axioma: «Actus agentium non operantur ultra intentionem illorum;» siquidem valet in iis, quae pendent ab intentione agentium; at legis obligatio a legislatoris intentione dependet, qui aliud non postulat quam opus humano modo positum. — E contrario non potest quis satisfacere obligationi sibi a semetipso impositae, v. g. voto, promissioni, si intendat non satisfacere; quia eiusmodi obligatio sicut a propria voluntate provenit, sic ab eadem dependet ut quis in eadem permaneat. (n. 164; lib. 4. n. 176; H. A. n. 20; Exam. ord. n. 75.)

169. — Quaestiones. QUAER. 1° An EODEM ACTU possit quis pluribus praeceptis satisfacere.

Resp. Affirm.; nisi alia esse praesumatur mens legislatoris; quia exsequitur totum, quod diversis legibus iubetur. Unde qui obligatur ad horas ratione Ordinis et ratione beneficii, satisfacit una recitatione.

Dictum est: *nisi alia esse praesumatur mens legislatoris*; idcirco, v. g. votum aut poenitentia sacramentalis ordinarie non impletur per opus aliunde praeceptum; quia haec communiter intelliguntur de opere ultroneo. Subinde tamen confessarii iniungunt opus aliunde praeceptum. Hinc v. g. si quis ex voto aut poenitentia sacramentali ieiunare teneatur, non satisfacit per ieiunium ex praecepto Ecclesiae iniunctum, nisi per mensem ieiunare deberet, in quo ieiunium de praecepto incidit. (n. 166. H. A. n. 31.)

QUAER. 2° An pluribus actibus EODEM TEMPORE factis possit quis diversis satisfacere praeceptis.

Resp. Affirm.; dummodo se invicem non impediunt; quia implet totum id, quod lege praecipitur. Propterea, qui, dum Missam die festo audit, simul horas canonicas vel preces pro poenitentia sacramentali iniunctas recitat, utrique praecepto satisfacit. (n. 166.)

QUAER. 3° Quodnam tempus sequendum sit in adimplentione legis ecclesiasticae, utrum tempus USUALE, an LOCALE, an LEGALE. ¹⁾

Resp. Dist. 1° Generatim standum est communi loci usui, seu tempori usuali.

2° Ultra tempus usuale, licitum est sequi etiam tempus locale, sive verum, sive medium, aut legale, sive regionale sive aliud extraordinarium (etiam zonarium, modo sit legale) ²⁾, quoties agitur de privata Missae celebratione, de privata recitatione horarum canonicarum, de sacra Communionem recipienda, de ieiunio vel abstinentia. (can. 33. § 1.) Et quidem licitum

¹⁾ Tempus usuale illud est quod ab usu communi in loco aliquo determinatur. — Tempus locale est illud quod determinatur a meridiano istius loci. Est aut medium, quod aequaliter per singulos anni dies distribuitur, aut verum, quod astronomice diversum est pro quavis anni die, ita ut aliquando per quadrantem discrepet a tempore medio. — Tempus legale est illud quod determinatur a lege. Est aut regionale: sequens meridianum alicuius regionis, aut aliud extraordinarium, v. g. pro aestate assumptum (zomertijd, daylight saving time).

²⁾ Ctr. Comm. Cod. Interpr. 10 Nov. 1925. (A. A. S. 1925, p. 582).

est sequi haec tempora pro libitu, ita ut uni actioni tempus locale, alteri legale, tertiae usuale applicetur idque etiamsi actiones istae ponendae sint eodem physice momento; dummodo agatur de actionibus *formaliter diversis* ¹⁾ et unaquaeque lex per totum tempus debitum observetur (v. g. dies abstinentiae et ieiunii per integras 24 horas.) Formaliter diversae autem sunt illae actiones quae sese referunt ad *diversa praecepta* ²⁾.

Hinc: a) aliquis potest *differre* Vesperas et Completorium unius diei iuxta unum tempus, et iuxta aliud intra idem spatium *anticipare* parvas horas diei subsequenti, vel etiam esum carnum, si dies antecedens fuerit dies Veneris.

b) immo cit. resp. C. C. I. decisa videtur vexata quaestio ³⁾ utrum quis licite possit manducare carnes iuxta unum tempus anticipando diem Sabbati et tamen eadem die Sabbati S. Communionem recipere vel Missam celebrare hac ratione quia iuxta aliam computationem manducavit ante mediam noctem. Agitur enim de actionibus formaliter diversis sc. observatione legis ieiunii et abstinentiae et ab alia parte de receptione S. Communionis a ieiuno (praeceptum enim ieiunii eucharistici non vetat manducationem sed receptionem S. Communionis a non-ieiuno.)

c) non licet diversa tempora eligere pro actionibus, quae *materialiter* tantum sunt diversae (uti v. g. tres Missae in die Natalis Domini) vel quae referuntur ad praecepta intrinsece connexa (uti v. g. lex ieiunii simul et abstinentiae in eodem die; plures dies ieiunii continui in Quadragesima.)

CAPUT VI

INTERPRETATIO LEGIS

170. — Quum obligatio legis pendeat a voluntate legislatoris verbis expressa, verba autem saepe hanc voluntatem obscure aut imperfecte tantum manifestent, ideo lex saepe indiget interpretatione; quae quidem interpretatio est duplex, aut ordinaria seu simplex aut extraordinaria quae vocari solet epikeia. De utraque agemus. Praesertim interpretationem legis *ecclesiasticae* attendimus.

Articulus I.

Interpretatio simplex.

171. — **Notio et divisio.** Interpretatio simplex est ea interpretatio quae, sensum verborum legis exponendo, voluntatem legislatoris in ferenda lege magis manifestam reddit.

Distingui potest: 1^o **ratione AUCTORIS** in authenticam, doctrinalem

¹⁾ Ita ex responso C. C. I. 29 Martii 1947 (*A. A. S.* 1947 p. 373).

²⁾ Cfr. *N. R. Th.* 1948 p. 87-88; *Period. de re mor.* 1947 p. 334-341; *Comm. pro Rel.* 1948 p. 25-32.

³⁾ De qua cfr. Cicognani, *Comment.* II p. 224 sqq.; v. Hove, *De consuetudine et temporis supputatione*, n. 295 sqq.

et usualem. *Authentica* ea est quae fit a persona, ad interpretationem legis *publica auctoritate* instructa; et haec interpretatio est aut ad *instar legis* aut per modum *sententiae iudicialis* vel *rescripti in re peculiari*; prout aut ab ipso legislatore qua tali vel persona ad hoc instituta per modum legis, aut a iudice vel superiore competenti pro decidendis causis particularibus datur. — *Doctrinalis* ea est quae proponitur a viris doctis et peritis, sed *privatis*. — *Usualis* ea est quae habetur ex usu seu consuetudine *communitatis*.

2° Ratione ACTUS in mere *declarativam*, *coarctivam* et *extensivam*, et *explicativam*. *Declarativa* est quae sensum ex se seu obiective certum et clarum mere declarat seu confirmat pro eo qui mere subiective (ex imperitia) de sensu legis dubitat. — *Coarctiva* vel *extensiva* est quae sensum verborum etiam ex se clarum infra vim verborum coarctat vel ultra eam extendit. — *Explicativa* est quae sensum obiective dubium intra vim verborum exponit. Interpretatio coarctiva sicut et extensiva, spectata nativa significatione vocis, minus proprie, ex modestia quadam, interpretatio vocatur. ¹⁾

3° Ratione MODI in *latam*, quae fit iuxta amplam verborum significationem et *strictam*, quae fit iuxta necessariam tantum eorundem significationem.

172. — **Diversarum interpretationum efficacia.** I. INTERPRETATIO AUTHENTICA: a) *per modum legis exhibita* eandem vim habet ac lex ipsa; et si verba legis *in se certa* declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat vel dubiam explicet, non retrahitur et debet promulgari. — b) *Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari*, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est. Ita can. 17. § 2 et 3.

Ratio autem cur statuatur superfluitas promulgationis et vis retroactiva interpretationis mere declarativae haec est, quia lex in se clara inde ab initio sufficienter promulgata fuit ideoque et vim suam, etsi inscio subdito imperito, exseruit. — E contra, olim disputabatur de necessitate promulgationis interpretationis non pure declarativae: quam disputationem canon citatus saltem practice solvit. ²⁾

II. INTERPRETATIO DOCTRINALIS tantum habet auctoritatis gradum, quantum est pondus rationum et Doctorum auctoritas. Ratio est, quia non emanat a iurisdictione, sed a scientia et iudicio peritorum. Propterea, ubi Doctores omnes conspirant, facit moralem certitudinem; ubi discrepant, probabilitatem

III. INTERPRETATIO USUALIS legitime praescripta aequipollet authenticae; necdum praescripta aequivalet doctrinali habetque idcirco probabilitatem. Etenim « consuetudo est optima legum interpretres. » (can. 29.) Quare

¹⁾ Cfr. Wernz. I. n. 128. II. Declaratio dubil, praesertim mere subiectivi, intra vim verborum data etiam *comprehensiva* vocatur. Ceterum, terminologia apud auctores non est perfecte uniformis. Cfr. Wernz. I. c. n. 144. nota 52. Quae tradidimus, scopo nostro atque novo Codici magis appropriata videntur.

²⁾ Cfr. *Ned. Kath. Stemmen*, 1903. p. 66, 1918. p. 18.

communiter asserunt DD. leges interpretandas esse iuxta loci consuetudinem, etsi verba legis minus proprie accipienda sint. (n. 108.) Quando nam autem consuetudo sit legitime praescripta, dicitur infra n. 206-209.

173. — Subiectum activum interpretationis authenticae legum ecclesiasticarum est legislator eiusve successor et is cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa. (can. 17. § 1.)

Hinc: 1° Sumus Pontifex authentice interpretari valet leges a se latas, imo omnes alias leges ecclesiasticas generales vel particulares; posteriorum enim saltem eminenter legislator dici debet, quum legislatores inferiores nonnisi dependenter ab eo potestatem suam legiferam exercent. — Eum insuper ex concessione Christi ius divinum tam naturale quam positivum authenticae, imo infallibiliter declarare posse, supra (n. 136 et 139. 5) iam inuimus.

2° Episcopus authentice interpretari valet leges dioecesanarum tum proprias tum antecessorum, sive intra sive extra Synodum latas; episcopus enim est unicus ipsarum legislator (cfr. can. 362, supra n. 140); non vero leges ab Apostolica Sede pro dioecesi particulari latas nec leges Concilii Provincialis, nisi hoc ipsi expresse concedatur, uti saepe conceditur sive soli Metropolitanae sive Metropolitanae cum consilio vel consensu Suffraganeorum, salva semper auctoritate Apostolica.¹⁾

3° Romanae Congregationes, sicut non valent exercere potestatem legiferam nisi iubente vel approbante Romano Pontifice (cfr. supra n. 140), ita neque polent potestate authenticae et *per modum legis* interpretandi leges ecclesiasticas, nisi quatenus hoc ipsis habitualiter vel ad actum ab eodem Pontifice concessum fuerit. Hoc valere videtur etiam quoad leges ab ipsis approbante Pontifice latas, quum eas tantum tulerint una cum S. Pontifice et dependenter ab eo.

Porro, de facto iam nulla S. Congregatio videtur gaudere potestate habitualiter et non audito S. Pontifice per modum legis interpretandi leges ecclesiasticas, ne S. C. Rituum quidem. Solummodo die 15^a Septembris anno 1917 *Commissio* instituta est « cui uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi, audita tamen, in rebus maioris momenti, Sacra Congregatione, cuius propria res sit, quae Consilio disceptanda proponitur. »²⁾

Insuper, non tantum S. Congregationes, verum etiam tribunalia romana, sicut quilibet iudex ecclesiasticus, leges authentice interpretari valent *per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari*.

174. — Regulae interpretationis doctrinalis legum ecclesiasticarum respiciunt aut leges ecclesiasticas in genere aut leges odiosas.

I. Quoad leges ecclesiasticas in genere duas regulas cum Codice statuimus: 1° Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum PROPRIAM verborum significationem, in textu et contextu consideratam.

Propria verborum significatio potest esse vel naturalis quae ex communi hominum acceptione petitur, vel legalis quae lege determinatur. Sic Codex can. 7 determinavit

¹⁾ Cfr. Wernz. I. n. 30.

²⁾ Cfr. *Acta Ap. Sedis*. 1917. p. 483, 1918. p. 77. Ipsa haec Commissio die 9 Dec. 1917 declaravit dubia quae minoris sunt momenti aut non multum difficultatis habeant, solvi posse ab E. mo Praeside Commissionis quin plenarius Cardinalium coetus sit convocandus et interrogandus.

sensum expressionis *Sedis Apostolicae*, can. 198 sensum vocis *Ordinarii* et *Ordinarii loci*, can. 488 sensum verbi *religionis, ordinis* etc. Insuper, can. 6. 2^o-4^o normas statuit pro textu Codicis explicando.

2^o Si propria verborum significatio, etiam considerata in textu et contextu, dubia et obscura permanserit, recurrendum est primum ad *locos Codicis parallelos*; si tales desint, *ad legis finem et circumstantias et ad mentem legislatoris* attendendum est. (cfr. can. 18.)

II. *Quoad leges odiosas*: Leges odiosae, nempe eae quae *poenam* statuunt, aut *liberum exercitium iurium* coarctant, aut *exceptionem* a lege continent, *strictae* subsunt interpretationi. (cfr. can. 19.)

Ita leges *poenales* ipse Codex stricte interpretatur. (can. 2227-29.)

NOTA. Si certa de re desit *expressum* praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis *in similibus*; a generalibus iuris *principiis* cum aequitate canonica servatis; a *stylo* et praxi *Curiae Romanae*; a communi constanti sententia *doctorum*. (can. 20.)

Dicitur: *a legibus latis in similibus*, congrua congruis referendo, uti Codex ipse saepe indicat; cfr. v. g. can. 490. 675. 671.

Articulus II.

Epikeia. ¹⁾

175. — Notio. Epikeia seu aequitas est interpretatio *mentis* legislatoris, qua iudicatur eum ob peculiare circumstantias non potuisse aut saltem noluisse casum aliquem in lege comprehendere, licet casus alioquin in verbis legis contineatur. (n. 201.) ²⁾

Epikeia igitur non est explicatio mentis legislatoris quoad *sensum* legis, sed quod *exceptionem* alicuius casus particularis a lege, et hac ratione interpretatio *restrictiva* legis vocari potest. (cfr. infra n. 285 et 290.)

Legitimitas epikeiae sequitur ex eo quod, quum actiones humanae in singularibus contingentibus consistant quae infinitis modis variare possunt, impossibile fuit leges ferri, quae in nullo casu deficerent; sed legislatores attendunt ad ea, quae communiter accidunt. Inde fit ut in aliquibus casibus servare legem esset contra rationem iustitiae, et contra bonum commune quod lex intendit, aut saltem contra intentionem legislatoris. Huiusmodi casibus providet epikeia.

176. — Principia. I. *Locum habet epikeia, quando legis observantia esset* 1^o MALA, ob collisionem cum lege altiori; ut si quis relinquat aegrotum qui eius cura indiget, ut assistat Missae praescriptae; aut 2^o MORALITER

¹⁾ Cfr. 1. 2. qu. 96. a. 6. et 2. 2. qu. 120. a. 1; Suarez. *De Leg. lib. 6. c. 7. n. 11*. Cfr. et infra n. 285 in fine et n. 290. *Angelicum*, 1928. p. 359 seqq.

²⁾ Quomodo ab aequitate quae dicitur epikeia differant aequitas canonica iuxta can. 20 in adhibendis generalibus iuris principiis (aequitas *obiectiva*) et aequitas *naturalis* (cfr. can. 144. 192, § 3) a Superiore vel iudice servanda, praeclare exponitur a d'Angelo in *Apollinaris*. 1928. p. 363. seqq.

IMPOSSIBILIS, ut si quis aegrotus ieiunaret; aut 3° MAGIS DURA ET RIGOROSA quam legislator de facto intendit. Hinc excusatur ab auditione Sacri qui alias amittere cogitur magnum lucrum. — Ratio primi et secundi est, quia legislator non *potuit* obligare. Non potuit, quia irrationabile esset velle mala vel generatim loquendo moraliter impossibilia seu nimis difficilia. Ratio tertii quia legislator *noluit* obligare.

Auctores moderni in hoc ultimo casu proprie ponunt epikeiam stricte dictam atque addunt eam esse illicitam ubi Superior commode adiri potest; quod praesertim verum est in dubio de intentione legislatoris. ¹⁾

II. *Epikeia generatim saltem locum non habet in legibus IRRITANTIBUS actum ipso facto.* Ratio est, quia in hisce legibus bonum commune postulat uniformitatem et certitudinem circa valorem aut nullitatem actuum, ita ut sine authentica dispensatione omnes sint sine dubio invalidi; idcirco legislator non attendit ad casus et rationes particulares.

Dicitur *generatim saltem*: aliquando enim epikeia, primae saltem speciei, locum habere potest etiam in legibus irritantibus, ut si agatur de lege irritante actum in favorem *privatum* tantum, v. g. minorennium, et in aliquo casu ex nullitate actus pro minorenni gravius damnum sequeretur. Pari modo si ex irritatione alicuius actus in aliquo loco sequeretur damnum commune. ²⁾

CAPUT VII.

CAUSAE LEGIS OBLIGATIONE SOLVENTES A PARTE SUBDITI

177. — Causae quae legis obligatione solvunt proveniunt aut a parte subditi, aut a parte Superioris. De praecipua causa quae legis obligatione solvit a parte Superioris agemus infra in Cap. VIII. Hic consideramus causas quae a parte subditi obligatione solvunt. Istaes autem aliae dicuntur *extrahentes*, quae hominem ex legis *dominio* extrahunt, puta si quis territorium, in quo lex obligat, egrediatur, vel privilegium exemptionis obtineat; aliae vocantur *excusantes*, quae subditum legis remanentem ab eius *impletione* excusant. (n. 152.)

Agemus primo de causis extrahentibus, deinde de excusantibus.

Articulus I.

Causae extrahentes.

178. — Principia. I. *Causae extrahentes PLANE liberant a legis obligatione.* Ratio est, quia homo non tenetur lege, nisi quatenus est legislatoris

¹⁾ Cfr. Suarez. *l. c. c. 8*; Vacant. *Dict. de Théol. cath. v. Epikie.*

²⁾ Cfr. Maroto. *l. c. n. 243*; vide etiam supra n. 162. IV. et infra vol. II. n. 843. *qu. 2*; S. Alf. *lib. 6. n. 613.*

subditus. *Atqui*, causae extrahentes hominem a subiectione erga legislatorem liberant. Ergo.

II. FAS EST *apponere causam extrahentem ex subiectione erga legislatorem*. Lex enim obligat quidem ut homo eam observet quoadusque manet subditus, non vero obligat ut subditus maneat. (n. 152. H. A. n. 20.)

Huic principio conformis est can. 900 statuens, reservationem omni vi carere extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit.

179. — *Quaeritur. An lapsus temporis praefixi pro legis impletione, ea non impleta, lege solvct.*

Resp. Dist. Affirm., si tempus affixum est *ad finiendam obligationem*: quare qui die festo Missam omisit, peccavit, sed opus omissum supplere non tenetur; quia onus est diei affixum.

Negat., si tempus affixum non est nisi *ad sollicitandam seu urgendam legis impletionem*: quapropter non liberatur a Communionis annuae praeepto, qui tempore paschali legem non implevit. Confirmatur can. 859. § 4. (*lib.* 3. n. 220.)

Articulus II.

Causae excusantes.

Sunt: 1° ignorantia, quae tollere potest transgressionem formalem seu culpabilem; 2° impotentia, quae auferre potest transgressionem etiam materialem.

§ I. - IGNORANTIA.

180. — *Principia*. I. INVINCIBILIS *ignorantia legis excusat ignorantem tam a CULPA MORALI quam, regulariter saltem, a POENA*. 1° *A culpa morali*, quia ignorantia tollit voluntarium, cum nihil sit volitum, nisi cognitum; sed quod voluntarium non est, formaliter et coram Deo peccaminosum non est. 2° *A poena*, quia cessante causa, debet cessare effectus; sed culpa est quasi causa poenae, iuxta Regulam Iuris antiqui 23. in 6: « Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. » Cfr. quoad Ius canonicum can. 2202, 2218 et 2233, *tom.* II. n. 955 et 965. — Dicitur autem ignorantiam invincibilem *regulariter a poena excusare*; aliquando enim poena infligi potest ob sic dictam culpam mere iuridicam, iuxta dicta n. 159 et n. 166 *nota*. (n. 168. 169.)

Ignorantia invincibilis *solius poenae*, adnexae legi, non excusat a culpa, nec ordinarie a poena, nisi aliter statuatur, ut obtinet pro nonnullis poenis ecclesiasticis; cfr. can. 2229. § 3. *tom.* II. n. 965.

Eodem modo ac ignorantia, sic et *inadvertentia*, quae est quaedam ignorantia *actualis*, excusat tam a culpa quam a poena.

II. *Ignorantia VINCIBILIS, sive legis sive poenae, non excusat a culpa, neque ordinarie a poena.* Ratio est, quia illa ignorantia non tollit simpliciter voluntarium neque ergo culpam; manente autem culpa manet causa poenae. Recole dicta n. 43.

181. — *Quaeritur, quandonam ignorantia vincibilis excuset a poena ecclesiastica latae sententiae.*

Resp. 1° Ignorantia AFFECTATA sive legis sive solius poenae *numquam* excusat a poenis ecclesiasticis latae sententiae. (cfr. can. 2229. § 1.)

2° Quaevis alia ignorantia, ETIAM CRASSA, EXIMIT a poenis istis, si lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave *similia* quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt. (§ 2.)

3° Si lex illa verba non habeat, ignorantia legis aut etiam solius poenae, si fuerit *crassa* vel *supina*, a nulla poena latae sententiae eximit; ignorantia graviter culpabilis quae non est crassa vel supina, excusat a *medicinalibus*, non autem a *vindicativis* latae sententiae poenis. (§ 3. 1°.) Porro, per ignorantiam crassam in Codice intelligitur solum ea, pro qua depellenda nullum vel vix ullum studium adhibitum fuit. ¹⁾ Cfr. *tom. II. n. 965.*

Ignorantia *leviter* culpabilis ab omni poena excusat. Cfr. can. 2218. § 2.

182. — *Notanda.* 1° Etsi ignorantia invincibilis legis excuset a culpa, non tamen ab effectu *irritante* aut *inhabilitante*, nisi aliud expresse dicatur vel agatur de irritatione *unice* vel *primario* per modum poenae statuta. Si ignorantia invincibilis versetur non circa culpam sed circa ipsum effectum irritationis tantum, et agatur de irritatione unice vel primarie per modum poenae statuta, disputatur num ignorantia ab hac poena excuset; iuxta alios excusat a poena, utpote extraordinaria; communius vero affirmatur poenam incurri. ²⁾

2° In foro externo ignorantia vel error circa legem aut poenam generatim *non praesumitur*, donec contrarium probetur. (can. 16. § 2; cfr. etiam can. 2200 et 2218, *infra tom. II. n. 965.*)

3° Dicta valent etiam servatis servandis de lege *positiva divina*; circa legem naturalem vide supra n. 134.

§ II. - IMPOTENTIA.

183. — *Notio et divisio.* Impotentia est causa quae privat hominem legis observandae facultate.

Est aut *physica* aut *moralis*. Physica ea est quae oritur ex vi physica (cfr. supra n. 32) atque omnem adimit agendi facultatem. — Impotentia moralis ea est quae oritur ex vi morali, i. e. ex metu seu periculo damni vel incommodi relative gravis, quod per accidens observationi legis iunctum est. Dicitur *relative gravis*, i. e. damnum vel incommodum tale quod grave aestimandum est etiam attento damno oriundo ex neglectu legis. Dicitur: quod *per accidens* observationi legis iunctum est; i. e. quod non

¹⁾ Cfr. supra n. 26. 3°; can. 2218. § 2; Cappello. *De Censuris. n. 51.*

²⁾ Cfr. supra n. 162. IV; can. 16. § 1; Maroto. *l. c. n. 231.*

ex ipsa legis observantia qua tali, sed ex specialibus circumstantiis, hic et nunc ei annexis, oritur.

184. — **Principia.** I. IMPOTENTIA PHYSICA OMNINO *excusat ab observatione* CUIUSVIS *legis*. Ratio est quia vinculum morale, quale est lex, supponit hominem esse dominum actionum suarum. *Atqui*, per vim physicam homo amittit dominium actionis de qua agitur. Ergo.

II. IMPOTENTIA MORALIS REGULARITER *excusat ab observatione legis POSITIVAE, tam divinae quam humanae*. Ratio est, quia alioquin lex excederet moralem hominis potentiam. Constat insuper ex communi Ecclesiae sensu. Inde Regula Iuris antiqui 4^a: «Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum»; item Regula 6^a in 6^o: «Nemo potest ad impossibile obligari»; et doctrina S. Thomae: 1) «Necessitas non subditur legi»; atque can. 2205. § 2: «Metus quoque gravis, etiam relative tantum, necessitas, imo et grave incommodum, plerumque delictum, si agatur de legibus mere ecclesiasticis, penitus tollunt.» In hoc casu adest ergo secunda species epikeiae. Recole dicta n. 176 et 141.

Dicitur *regulariter*: duo enim sunt casus, in quibus lex cum certo etiam vitae periculo obligat, nempe: 1^o quando legis transgressio vergeret in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis vel in animarum damnum; 2^o tunc enim legis transgressio intrinsece mala esset; 2^o quando legis observatio necessaria est Reipublicae aut bono communi; quia bonum publicum praefendum est privato. Itaque in his casibus lex naturalis urget. (n. 175. 176. H. A. n. 18. 44.)

III. *Non licet sine iusta causa sese* CONSTITUERE *in impotentia physica vel morali observandae legis*, ponendo impedimentum futurae eius adimplentioni. Ratio est, quia id foret in fraudem legis operari; omnis quippe lex obligat ne data opera quid fiat, quo ea eludatur. — Qui tamen sine iusta causa iam posuit impedimentum observationi legis, lege iam non tenetur, quamvis peccaverit illud ponendo.

Dicitur *sine iusta causa*: quia praecepta positiva non cum tanto rigore obligant; dummodo quis ne operetur animo se subtrahendi legi. (n. 152; *ib.* 3. n. 301. 1045. 1046; H. A. n. 20.)

Ad dignoscendum *quanta causa* requiratur ut liceat apponere impedimenta legis adimplentioni, spectanda sunt *vis et vigor praecepti*: quaedam enim praecepta benignius explicantur minoribusque causis excusantibus indigent; alia vero rigidius accipiuntur urgentioresque causas exposcunt, prout in singulis praeceptis suo loco trademus.

In genere *iusta causa* ponendi impedimentum semper adesse censetur, quando tempus obligationis *remotum* adhuc sit; quia nulla lex positiva obligare praesumitur cum tanto incommodo. Porro, tempus ab obligatione legis *remotum* ordi-

1) 1. 2. *qu.* 96. a. 6. 3 *qu.* 80. a. 8.

2) Cfr. tom. II, n. 955. II, 3^o, n. 965. 3^o *sub c.*

narie censentur aliquot dies; quocirca attendatur iterum tum ad rigorem legis tum ad communem praxim timoratorum. (*lib. 3. n. 301.*)

IV. *Qui, tempore obligationis iam incepto, praevidet impedimentum legem postea implendi, tenetur tempore, quo potest, eam implere.* Ratio patet, quia talis homo nequaquam est impotens. (*n. 157; lib. 4. n. 155.*) — Eo autem tempore nondum incepto, nemo tenetur anticipare, etiamsi praevideat se tempore statuto impeditum iri; imo, per se loquendo, anticipatio legi ne satisfacit quidem. (*lib. 6. n. 294. 297 in fine et n. 298.*)

185. — *Resolutiones.* 1° Si quis in odium Religionis compellatur comedere carnes die vetito, aut laborare die festo, potius mortem oppetere quam obtemperare debet.

2° Medicus et sacerdos possunt praecepto Superioris obligari ad assistendum pestiferis; milites ad servandam stationem, vel irruendum in hostes, cum certo mortis periculo.

3° Lex sigilli sacramentalis semper obligat, non obstante quocumque metu vel periculo. Ita enim exigit bonum commune.

4° Non excusatur qui die ieiunii recreationis causa venatur, aut eadem ex causa ad visendum amicum iter pedestre assumit et inde postea impotens fit ad ieiunandum. (*lib. 3. n. 1046. H. A. tr. 12. n. 33.*)

5° Neque excusatur, qui sine iusta causa die Sabbati iter susciperet, praevidens se sequenti die non posse Missam audire; secus vero, si feria quinta proficisceretur. (*lib. 3. n. 301.*)

6° Pariter non excusantur sartores et sutores, qui sine necessitate plura opera suscipiunt, quam intra hebdomadem perficere valent, et hoc pacto coguntur die Dominica laborare. (*lib. 3. n. 303.*)

7° Qui die festo non potest circa meridiem, ut solet, Sacrum audire, tenetur mane, si possit, ei interesse. (*lib. 4. n. 155.*)

186. — *Quaestio. An ille, qui non potest totum opus praeceptum exsequi, teneatur ad partem quam potest.*

Resp. Quando totum est *dividuum*, sive ex natura rei sive ex usu hominum, et in parte reperitur sufficiens ratio legis, impotentia ad totum non excusat a parte. Ratio est, quia tunc quaelibet pars notatu digna constituit totum quoddam, sufficiens ut legislator rationabiliter praesumatur illius impletionem velle. Idem probatur ex prop. 54 damnata ab Innocentio XI: « Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia maior pars trahit ad se minorem. » (*n. 176. H. A. n. 45.*)

Notandum tamen, quod si quis ob infirmitatem nequeat totam legem implere et dubitet num possit partem, ad nihil tenetur; ne scrupulis angatur circa quantitatem, quam implere potest, et sanitatis detrimentum subeat. (*lib. 4. n. 154. Not. IV.*)

Hinc: 1° Qui in Quadragesima ieiunare non potest, tenetur tamen a carnibus abstinere, si possit: iis scil. diebus quibus etiam abstinentia praescribitur.

2° Qui non potest tota Quadragesima ieiunare, tenetur tamen iis diebus, quibus non impeditur.

3° Qui caret breviario, et notabiles partes horarum, quae orationem ordinatam constituunt, scit memoriter, illas recitare tenetur. Secus, si pauca tantum sciat.

4° Qui piam vovit peregrinationem ad locum sacrum, et non potest eo pervenire, partem viae conficere non tenetur. (n. 177. H. A. n. 45.)

CAPUT VIII.

DISPENSATIO LEGIS

Obligatio legis solvitur a parte Superioris: 1° per epikeiam sensu stricto sumptam, 2° per dispensationem. De epikeia sensu stricto sumpta sufficienter dictum fuit n. 176; quapropter hic unice agemus de dispensatione, tractantes, praeprimis in ordine ad leges ecclesiasticas: 1° naturam dispensationis, 2° potestatem dispensandi, 3° causas, 4° concessionem, 5° cessationem dispensationis.

Articulus I.

Natura dispensationis.

187. — **Notio.** Dispensatio est relaxatio obligationis legis in casu particulari vel cum particulari persona, legitima auctoritate facta. (can. 80.)

Differt: 1° a *licentia*, quia haec non est contra, sed potius secundum legem, cum ponat conditionem lege requisitam, ne scilicet fiat aliquid sine licentia; 2° a *privilegio*, quia hoc est ex se perpetuum, ac saepe non est contra, sed praeter legem; dispensatio vero ex se est ad tempus tantum, et semper contra legem; 3° a legis *abrogatione*, qua lex in perpetuum pro tota communitate tollitur.

188. — **Divisio.** Distinguitur: 1° ratione **EFFECTUS**: a) **DISPENSATIO totalis** et *partialis*, prout legis obligationem vel totam vel ex parte aufert; — b) *localis* et *personalis*, prout restringitur ad locum, vel personam sequitur, ubicumque est.

2° Ratione **CAUSAE**: a) *necessaria*, quae petenti negari non debet, ob gravitatem causae: *libera*, quae, licet iustam causam habeat, non est tamen debita; — b) *obreptitia*, quae obtinetur allegando *fulsum*: *subreptitia*, quae impetratur reticendo verum, quod manifestandum erat.

3° Ratione **MODI**: a) *expressa*, quae perspicuis verbis aut signis conceditur: *tacita*, quae iam consuetudine concessa est, vel scienter conceditur in facto quod sine dispensatione fieri non potest; — b) *absoluta* et *conditionalis*, prout simpliciter vel adiecta aliqua conditione conceditur.

189. — Quaestiones. **QUAER.** 1° *Unde colligatur dispensatio tacita.*

Resp. Ex praesumptione voluntatis *praesentis* Superioris. Hinc si Superior videt subditum agere contra legem, et non corripit, cum facile posset, dispensare censetur; quia non est praesumendum Superioris delictum, qui, si dispensare nollet, loqui teneretur. Secus autem dicendum, si Superior corripere non posset sine incommodo.

Non sufficit praesumptio voluntatis *futuræ*, e. g. si rogaretur, dispensaret; quia per dispensationem adhuc dandam nondum est aliquis exemptus a lege, quemadmodum per legem adhuc promulgandam nullus obligatur. *Licentia* vero praesumpta *de futuro* admittitur; quia non est vulneratio legis, sicut dispensatio. (n. 187; lib. 4. n. 18.)

QUAER. 2° *An dispensatio sit stricte interpretanda.*

Resp. Regulariter *affirm.*; quia exorbitat a iure communi, et est odiosa legi, quam vulnerat. Excipe si communitati, vel ob commune bonum imperitur; quia favet religioni et bono communi. Confirmatur can. 85 et 50. (n. 194.)

Articulus II.

Potestas dispensandi.

Videndum: 1° qualis sit potestas dispensandi, 2° quis eam habeat, 3° circa quos exerceri possit et cum quali effectū.

§ I. - NATURA POTESTATIS DISPENSANDI.

190. — I. Notio et divisio. Potestas dispensandi est potestas *iurisdictionis*; et duplex est, altera *ordinaria*, quae *ipso iure* adnexa est *officio*, altera *delegata*, quae commissa est *personae*. Potestas ordinaria potest esse sive *propria* sive *vicaria*. (can. 197.)

II. **Concessio.** 1° Potestas dispensandi **ORDINARIA**, sive *propria* sive *vicaria*, obtinetur legitima acquisitione officii, cui haec potestas iuncta est. (can. 145 sequ., 1472.)

2° Potestas **DELEGATA** obtinetur concessionem legitima ab eo qui habet potestatem delegandi. Porro iuxta can. 199:

a) Qui habet potestatem dispensandi *ordinariam*, potest eam alteri *ex toto* vel *ex parte* delegare, nisi aliud expresse iure caveatur.

b) Qui habet potestatem dispensandi *delegatam*: α) si delegatus fuerit *ab Apostolica Sede*, eam *subdelegare* potest, sive *ad actum* sive etiam *habitualmente*, nisi electa fuerit industria personae vel subdelegatio prohibita; — β) si delegatus fuerit *ab eo, qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem*, idque *ad universitatem causarum*, potestatem suam *in singulis casibus* subdelegare potest; si non fuerit delegatus *ad universitatem causarum*, subdelegare potest tantummodo *ex concessione expresse facta*; sed

articulum aliquem non iurisdictionalem etiam sine expressa commissione subdelegare potest.

c) Qui habet potestatem *subdelegatam*, numquam potest eam iterum subdelegare, nisi id *expresse* concessum fuerit.

191. — III. Interpretatio. Potestas dispensandi ordinaria sicut et potestas delegata ad universitatem negotiorum *late* interpretanda est; alia quaelibet *stricte*. (can. 200. § 1.)

Unde strictae subest interpretationi facultas dispensandi *ad certum casum* concessa. (can. 85.) — At facultates *habituales*, quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum, *late* sunt interpretandae; tum quia datae sunt ad universitatem causarum, tum quia accensentur privilegiis praeter ius et cedunt in bonum commune. (can. 66. § 1; can. 68 et 50).

IV. Extensio. 1° Cui delegata potestas est, ea quoque intelliguntur concessa, sine quibus eadem exerceri non posset. (can. 200. § 1.) — Quare in facultate dispensandi includitur etiam *potestas absolvendi* a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstant, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae. (can. 66. § 3.)

2° In *errore communi* aut in *dubio* positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo, tum interno. (can. 209.)¹⁾

V. Cessatio. 1° Potestas dispensandi ORDINARIA cessat amisso officio; non vero resolutio iure concedentis officium cui adnexa est, nisi lex aliud caveat aut nisi in concessione officii habeatur clausula *ad beneplacitum nostrum*, vel alia aequipollens. (can. 208 et 183.)

2° Dispensandi potestas DELEGATA exstinguitur: a) expleto mandato; b) elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit; attamen potestate pro foro *interno* concessa, actus per *inadvertentiam* positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est; c) cessante causa finali delegationis; d) revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata. (can. 207. § 1 et 2.) Demum e) *pluribus collegialiter delegatis*, si unus deficiat, aliorum quoque delegatio expirat, nisi aliud ex tenore delegationis constet. (can. 207. § 3.)

Potestas delegata non exstinguitur resolutio iure delegantis, nisi aliud ex additis clausulis appareat aut agatur de concedenda gratia peculiaribus personis in delegatione expressis et res adhuc integra sit.²⁾ (can. 207. § 1 coll. can. 61.)

Demum, nisi in earum concessione electa fuerit industria personae aut aliud *expresse* cautum sit, facultates *habituales*, Ordinario ab Apostolica

¹⁾ Pro explicatione huius canonis cfr. *tom. II. n. 359-360.*

²⁾ Ubi agitur de *gratia* concedenda, res adhuc integra est, si rescriptum gratiae (in casu dispensationis) nondum fuit ullo modo datum executioni seu nullus actus praeparatorius fuit positus. Pro foro contentioso cfr. can. 1725. 1°.

Sede concessae, non evanescent, resolutio iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exsequi coeperit; sed transeunt ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt; item concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali. (can. 66. § 2.) ¹⁾

NOTANDA. 1° Non cessat potestas dispensandi in inferiore, si quis, *inferiore praetermisso*, Superiorem adeat; attamen rei ad Superiorem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; et hoc in casu statim Superiorem de re moneat. (can. 204.)

2° Nemo dispensationem a proprio Ordinario *denegatam* ab alio Ordinario petat, nulla facta denegationis mentione; facta autem mentione, Ordinarius dispensationem ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus. Dispensatio quidem a Vicario Generali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione, ab Episcopo impetrata, *invalida* est; dispensatio autem ab Episcopo denegata *nequit valide*, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari. (can. 44.)

Pari modo, e can. 43 dispensatio ab una Sacra Congregatione vel Officio Romanae Curiae *denegata*, *invalida* ab alia Sacra Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu Sacrae Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo iure S. Poenitentiariae pro foro interno. (can. 43.) Cfr. n. 197. qu. 5 a et b.

§ II. - QUIS EAM HABEAT.

192. — Principia. I. *Dispensare in lege sua potest potestate ordinaria* LEGISLATOR ipse, eius SUCCESSOR, et eius in iurisdictione SUPERIOR. Constat ex can. 80. De legislatore claret insuper ex antiqua Reg. Iuris 1: « Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur. » De successore pariter liquet, cum par in parem non habeat imperium. De Superiore res in promptu est.

II. *INFERIOR dispensare non potest in lege Superioris, nisi ipsi concedatur.* Ratio est, quia inferior nihil potestatis habet in Superioris voluntatem, a qua tota vis legis existit; constat etiam ex can. 80.

193. — Regulae speciales. 1° PAPA ordinaria potestate in *quibusvis legibus ecclesiasticis* dispensare potest, etiam in legibus Apostolicis, quas nimirum Apostoli propria auctoritate tulerunt, uti est lex observationis diei Dominicae pro Sabbato, de non ordinandis bigamis. Aliud est de legi-

¹⁾ In iure nomine *Ordinarii* intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus nullius eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis. — Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis. » Ita can. 198; pro variis denominationibus cfr. can. 293. 312. 319. 429. *Vicarius delegatus in terris Missionum* nominatus ad normam litt. S. C. de Prop. Fide 8 Dec. 1919 practice omnem iurisdictionem habet qua gaudet Vic. Gen. vi Codicis I. C.; quae iurisdiclio videtur esse *ordinaria*. Cfr. *Apollinaris* 1933. p. 196 *seqq.*; 1920. p. 120.

bus, quas non ipsi Apostoli condiderunt, sed tantum promulgarunt ex mandato Christi eas constituentis, ut sunt leges circa formas et materias Sacramentorum, circa oblationem Sacrificii, etc. (n. 188.) Cfr. supra n. 136. *qu. 2 et n. 139. 5.*

2° EPISCOPI aliique LOCORUM ORDINARII e can. 82. 291. 336, dispensare valent: a) in legibus *dioecesanis*; b) in legibus Concilii *provincialis* ac *plenarii*, attamen non nisi in casibus particularibus et iusta de causa. — Non vero dispensare valent in legibus generalibus, vel particularibus illis quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro illo peculiari territorio; nisi ad normam secundum quam omnes Ordinarii dispensare valent in legibus generalibus. Porro:

3° ORDINARII infra Romanum Pontificem e can. 81 a *generalibus* Ecclesiae legibus ¹⁾ dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi a) difficilis sit recursus ad S. Sedem, vel ad Legatum R. Pontificis in regione qui cum eadem S. Sede communicat ²⁾ et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet; ³⁾ aut b) haec potestas ipsis fuerit explicite vel implicite concessa. — Porro ex IURE COMMUNI, ex concessione can. 15, *in dubio facti* Ordinarii dispensare valent in legibus etiam irritantibus et inhabilitantibus, dummodo agatur de legibus in quibus R. Pontifex dispensare solet. Cfr. supra n. 163. *qu. 1.*

Quidnam autem valeant Ordinarii locorum, quidve Ordinarii circa leges de *diebus festis* atque de *diebus abstinentiae* et *ieiunii*: quid Ordinarii locorum circa *interstitia* et circa *publicationes* sive ante susceptionem S. Ordinum sive ante matrimonii celebrationem atque circa *impedimenta matrimonialia*: quid demum Ordinarii circa *irregularitates*, suis locis tradetur; cfr. interim can. 1245. § 1, 2; 978, 998. § 1; 1028; 1043 et 1045; 990; cfr. et can. 2237 (circa *leges poenales*).

4° PAROCHI e can. 83 nec a lege generali nec a lege particulari dispensare valent, nisi haec potestas expresse eisdem concessa sit.

Quidnam autem e concessione Codicis parochi, imo etiam Superiores in religione clericali exempta valeant circa dies *festos* atque dies *ieiunii* et *abstinentiae*, quidve parochi, imo etiam sacerdotes et confessarii circa *impedimenta matrimonialia*, postmodum dicetur. Cfr. interim can. 1245. § 1 et § 3 et 1044.

§ III. - CIRCA QUOS EXERCERI POSSIT.

194. — I. Circa quosnam. Potestas dispensandi directe exerceri potest in *solos subditos*. Inter subditos autem et vagi veniunt actu in territorio commorantes; sicut et illi qui tantum habent domicilium vel quasi-domi-

¹⁾ Non tamen a votis Sedi Apost. reservatis. Ita resp. C. C. I. 26 Jan. 1949 (*A. A. S.* 1949 p. 158).

²⁾ Ita resp. C. C. I. 26 Jun. 1947 (*A. A. S.* 1947 p. 374); requiri videtur actualis et realis communicatio, ita ut recursus fiat semper ad Sanctam Sedem per tramitem Legati R. Pontificis. Cfr. *Period.* 1947 p. 345. Aliter Gutierrez in *Comm. pro Rel.* 1948 p. 32-47 qui putat Ordinarium facultate can. 81 valide non uti, si Legatus R. Pontificis praeditus sit speciali facultate non tamen actualiter cum S. Sede communicet. In novo iure matrimoniali orientali can. 35 § 4 hoc expresse statuitur (*A. A. S.* 1949 p. 97).

³⁾ Sic v. g. non possunt dispensare diaconos et subdiaconos ab obligatione servandi sacrum coelibatum; ita ex resp. C. C. I. 26 Jan. 1949 (*A. A. S.* 1949 p. 158).

cilium dioecesanum veniunt inter subditos parochi loci in quo actu comorantur. Ita ex can. 201. § 1 coll. can. 94.

Attamen, nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem dispensandi quis exercere potest etiam *in proprium commodum* aut *extra territorium existens*, aut *in subditum e territorio absentem*. (can. 201. § 3.)

Imo, etiam in *peregrinos in territorio existentes* exerceri potest potestas dispensandi a Codice data circa leges festorum, abstinentiae et ieiunii, sicut et circa vota et impedimenta matrimonii. Can. 1245; cfr. can. 1043 sq., 1313.

II. **Pro quo foro.** Actus potestatis dispensandi pro foro *externo* valet quoque pro *interno*, non autem e converso. Potestas collata pro foro interno exerceri potest etiam in foro interno *extra-sacramentali*, nisi sacramentale exigatur. — Si forum, pro quo potestas data est, expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet. (can. 202.)

Nota. Delegatus qui sive circa res sive circa personas mandati sui fines excedit, nihil agit. Hos tamen excessisse non intelligitur delegatus, qui alio modo ac deleganti placuerit ea ad quae delegatus est peragit, nisi modus ipse fuerit a delegante praescriptus tamquam conditio. Can. 203. Cfr. et can. 39.

Articulus III.

Causae dispensationis.

195. — **Principia.** I. *Ad LICITE dispensandum semper aliqua causa postulatur.* Ratio est, quia alioquin dispensans committit acceptionem personarum, et dat ansam querelis, dum unus a lege eximitur sine causa, alii vero eadem premuntur. (n. 178; lib. 3. n. 1032.)

II. *Sine iusta causa VALIDE dispensat legislator ipse, idemque est dicendum de eius successore et de eius Superiore:* quia lex prorsus dependet ab eius voluntate. *INVALIDE vero dispensat inferior in lege Superioris:* quia non censetur Superior inferiori potestatem concedere, nisi ad dispensandum rationabiliter. Confirmatur can. 84. (n. 178. 180; lib. 3. n. 1032.)

Dispensans sine iusta causa, si est ipse legislator, probabiliter peccat venialiter tantum, dummodo scandalum absit et damnum notabile aliorum; quia est legis suae dominus, et acceptio personarum sub dicta restrictione non est materia gravis. Idem dicendum de eius successore et eius Superiore. — Inferior vero, nisi excuset parvitas materiae, peccat graviter; quia usurpat potestatem sibi non concessam, adeo ut dispensatio irrita sit. (n. 178. H. A. n. 46.)

Petens illius peccati reus est, ad quod inducit dispensantem, secundum modo dicta; idque verum est, etiamsi dispensans excusetur ob bonam fidem. (n. 185.)

Utentem tali dispensatione, si modo valida sit, communiter dicunt non peccare graviter, et multi probabiliter putant ne leviter quidem peccare; quia valide dispensatus non tenetur legem observare. (n. 178.)

III. *Causa dispensandi PRUDENTI ARBITRIO relinquatur decidenda.* Non debet esse tanta, quae iam ex se certe vel probabiliter sufficiat ut quis a lege observanda excusetur; tunc enim opus non est dispensatione.

Causae dispensationis concedendae sunt aut *motivae* seu *finales*, aut *impulsivae*. Motivae seu finales eae sunt quae per se solas sufficiunt ad obtinendam dispensationem; causae impulsivae sunt quae solae non sufficiunt, sed adiuvant tamen ad dispensationem obtinendam.

Generatim numerantur tres causae, nempe *necessitas*, *pietas* et *utilitas*, communis vel privata; in quarum aestimatione spectanda sunt gravitas legis et adiuncta personarum. Nonnumquam causa sufficiens est *dignitas Superioris*, ut benignum sese ostendat; item *dignitas petentis*, quia ad bonum Ecclesiae spectat gratas habere personas eminentes. Etiam copiosa eleemosyna in subsidium Ecclesiae potest saltem ex parte supplere defectum causae, ut praxi confirmatur. ¹⁾ Illud quoque notandum, si plures adsint causae, quarum nulla sufficiat seorsim, sufficere posse omnes simul. (n. 195.)

IV. *Stante iusta causa*, NON TENETUR Superior dispensare, si dispensatio est PERMISSA tantum: quia, licet expediat bono subditi dispensatio, expedit bono communi legis observantia. Tunc ergo Superior potest eam concedere vel negare, vel uni concedere et alteri negare.

TENETUR vero dispensare, si dispensatio est DEBITA; puta si subditus graviter ea indiget, si necessaria est ad vitandum scandalum, vel ad bonum commune, quia tunc caritas et aequitas naturalis eam postulant, ita ut Superior negando peccaret, graviter vel leviter iuxta materiam. — Denegata tamen etiam iniuste dispensatione, nequit subditus contra legem agere; nisi talis causa urgeat, quae per se excuset; quare, si Episcopus iniuste negaret dispensationem in denuntiationibus ante matrimonium, posset, urgente gravi causa, illud contrahi sine eis. (n. 179.)

196. — Quaestiones. QUAER. 1^o Si Superior ERRAT circa causam, num valeat dispensatio, et dispensatus ea uti possit.

Resp. Dist. Si causa revera existit, semper valet; quia valor non dependet a causae cognitione, sed ab eiusdem existentia. Potest autem legislator declarare semper adesse causam, uti fecit in ordine ad dispensationes a minoribus impedimentis matrimonialibus. ²⁾

Si causa certo non existit, non valet; quia summus Superior tunc praesumendus est dispensare noluisse; Superior minor certum habet principium inferiorem non posse sine iusta causa dispensare in lege Superioris.

Si *dubium* est an causa iusta adfuerit, possessio stat pro valore dispensationis, secundum certum et receptum principium: « In dubio standum est pro valore actus »; ideo post obtentam dispensationem non est obligatio inquirendi de eius valore, sed dispensatus acquiescere potest, donec veritas non appareat in contrarium. (n. 180-182; lib. 3. n. 251.)

QUAER. 2^o An liceat subdito petere, et Superiori concedere dispensationem ex CAUSA DUBIA.

¹⁾ Cfr. Wernz-Vidal. *Ius. matr.* n. 438, nota 123; cfr. infra tom. II. n. 300.

²⁾ Cfr. *Acta Ap. Sedis.* I. p. 91; can. 1054; infra tom. II. n. 789.

Resp. Licet *petere*, et, obtenta dispensatione, subditus securus esse potest, si bona fide causam exposuerit; quia Superioris est iudicare de iustitia causae, et non est subditi facta Praelatorum discutere. (n. 186.)

Licet *concedere* in dubio iuris num causa *sufficiat*: quia potestas dispensandi possidet et est late interpretanda, secundum dicta n. 191. — Secus vero in dubio facti num causa *exsistat*. — In utroque tamen dubio dispensatio facta praesumitur valida. (n. 178. 192. *lib.* 3. n. 251.)

Imo, circa dispensationes in legibus ecclesiasticis Codex diserte statuit: «Dispensatio in dubio *de sufficientia causae* licite *petitur* et potest licite et valide *concedi*.» (can. 84. § 2.)

QUAER. 3^o *An requiratur dispensatio* IN DUBIO num casus *indigeat dispensatione*.

Resp. Dist. Negat. in dubio an casus comprehendatur in lege; quia tunc respectu illius casus ipsa lex est dubia, ac proinde possidet libertas.

Affirm. in dubio an causa, quam quis habet, sufficiat ad excusandum eum a lege; quia tunc possidet lex. *Ita communiter.* Cfr. can. 15. (n. 97 et 192.)

QUAER. 4^o *An valeat dispensatio* METU *extorta*.

Resp. Affirm., si modo iusta causa exsistat, nec constet Superiorem fecte dispensasse sine animo dispensandi, quod praesumendum non est. Ratio, quia metus non tollit voluntarium.

Insuper talis dispensationis impetratio *licita* est, si metus *iuste* incutiatur, v. g. si subditus comminetur se conquesturum esse apud supremum Superiorem, vel iustam accusationem laturum de aliquo suo delicto. *Illicita* autem esset, si metus *iniustus* esset; quo casu dispensatio posset postea a Superiore pro libito revocari. (n. 184.)

Demum, si dispensatio annexam habeat *poenae remissionem* (ut v. g. dispensatio in irregularitate ex delicto), poenae remissio (ideoque et ipsa dispensatio), vi aut metu gravi extorta, ipso *iure irrita* est. (can. 2238.)

Articulus IV.

Concessio dispensationis.

197. — Dispensatio a lege ecclesiastica concedi solet ab auctoritate ecclesiastica ope *rescriptorum*, quibus *petitioni* subditorum respondetur.

De hisce ergo rescriptis nonnulla ad normam Codicis iuris canonici inquiramus oportet.

QUAER. 1^o A QUONAM *valide impetrari possint rescripta*.

Resp. 1^o Rescripta tum *Sedis Apostolicae* tum *aliorum Ordinariorum* impetrari libere possunt *ab omnibus qui expresse non prohibentur*. (can. 36.)

Porro excommunicatus, personaliter interdictus, suspensus, si sint vitandi, vel etiam si de ipsorum censura sententia declaratoria vel condemnatoria secuta fuerit, vi canonum 2265. § 2, 2275. n. 3, 2283, nequeunt dispensationem ullam *pontificiam* valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de censura fiat. Dispensationes vero aliis censura irretitis a Sede Apostolica concessae validae sunt. (can. 36. § 2.)

2° Rescriptum impetrari potest *pro alio* etiam praeter eius assensum; et licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti, rescriptum tamen valet *ante eius acceptationem*, nisi aliud ex appositis clausulis appareat. (can. 37.)¹⁾

QUAER. 2° QUO TEMPORE *rescripta effectum habeant.*

Resp. Rescripta quibus dispensatio conceditur sine interiecto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore executionis. (can. 38.)²⁾

QUAER. 3° QUAE CONDITIONES *in rescriptis essentialia pro eorundem validitate censeantur.*

Resp. Eae tantum conditiones quae per particulas *si, dummodo* vel aliam eiusdem significationis exprimuntur;³⁾ atque insuper conditio *si preces veritate nitantur*. Haec conditio veritatis precum in omnibus rescriptis subintelligitur, nisi ipsis apponatur clausula *motu proprio* vel nisi agatur de dispensatione in impedimento matrimoniali *gradus minoris*; in priori casu rescriptum valet etsi in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis seu motiva eaque unica proponatur; in altero casu rescriptum semper valet.⁴⁾ (can. 39. 40. 45. 1054.)

QUAER. 4° QUO TEMPORE *et QUO MODO preces veritate niti debeant.*

Resp. Quoties conditio de veritate precum iuxta quaestionem praecedentem tacite subest: 1° Quoad *TEMPUS* requiritur et sufficit, ut in rescriptis quorum nullus est exsecutor preces veritate nitantur tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore executionis. (can. 41.)

2° Quoad *MODUM* requiritur et sufficit, ut absit *a)* reticentia veri seu *subreptio* circa ea quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda, atque *b)* expositio falsi seu *obreptio* in proponenda unica causa vel si plures proponantur in una saltem ex causis motivis, ita ut una ad minus vera sit. Quodsi una simul *plures* dispensationes concedantur, vitium obreptionis vel subreptionis in una tantum parte rescripti aliam non infirmat. (can. 42.) — Quaenam vero de stylo Curiae, praesertim in ordine ad dispensationes matrimoniales, exprimenda sint, in tractatu de Matrimonio (*tom. II. n. 788-797*) dicitur.⁵⁾

QUAER. 5° *Quaenam rescripta, etiam impletis conditionibus adiectis, nihilominus invalida sint.*

¹⁾ Cfr. *S. C. de Reliq.* 1 Aug. 1922. (*Acta Ap. S. XIV. p. 501*); Maroto. *Comm. Reliq.* 1923. p. 64 et 69.

²⁾ Dispensatio concedi potest aut in forma *gratiosa* aut in forma *commissoria*. Si data fuit in forma *gratiosa*, gratiam iam in se continet, et ideo per se non indiget exsecutore. Si in forma *commissoria*, dispensatio alteri exsequenda committitur. Hic alter vocatur *exsecutor* et quidem *necessarius* si ei *mandatur* exsequi dispensationem, *voluntarius*, si ei tribuitur *facultas* exsequendi dispensationem. Cfr. can. 54; *Acta Ap. Sed. I. p. 63*. Cfr. etiam *tom. II. n. 800 et 809, II. nota*.

³⁾ Quid si clausula ablativo absoluto exprimitur, cfr. *tom. II. n. 801 et 996*.

⁴⁾ Impedimenta gradus minoris recensentur in can. 1042.

⁵⁾ Cfr. interim can. 20 et 1052; Instr. S. C. de Prop. Fide 9 Maii 1877 (*Coll. n. 1478*); Lehmkühl. II¹². n. 1035. *sequ.*

Resp. Non obstante conditionum impletione invalida sunt rescripta: a) a S. Congregatione vel Officio Romanae Curiae vel loci Ordinario concessa circa gratiam ab alia S. Congregatione vel Officio iam *denegatam*, nisi haec S. Congregatio vel hoc Officium concessionem assenserit vel agatur de concessionem facta a S. Poenitentiaria pro foro interno. (can. 43. Cfr. supra n. 191. V. not. 2°.)

b) Impetrata ab Episcopo circa gratiam a Vicario Generali *denegatam*, nulla facta huius denegationis mentione; vel impetrata a Vicario Generali circa gratiam ab Episcopo *denegatam*, non consentiente Episcopo, etiamsi denegationis mentio facta fuerit. (can. 44. § 2; cfr. supra n. 191. V. not. 2°.)

c) Concessa, etiam *motu proprio*, personae de iure communi *inhabili* ad consequendam gratiam de qua agitur, itemque edita contra *alicuius loci* legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra *ius alteri iam quaesitum*, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur. (can. 46).

d) Non vero rescripta fiunt irrita ob *errorem* in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio. (can. 47; cfr. demum supra m. 196. qu. 4. *in fine.*)

QUAER. 6° *Quid vero, si de una eademque re duo rescripta CONTRARIA impetrentur.*

Resp. Eo in casu: a) peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali. b) Si sint aequae peculiaris aut generalis, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore, aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit. c) Quod si eodem die fuerint concessa nec liqueat uter prior impetraverit, utrumque irritum est, et, si res ferat, rursus ad eum qui rescripta dedit, est recurrendum. (can. 48.)

QUAER. 7° *Quomodo rescripta INTERPRETANDA SINT.*

Resp. a) Rescripta intelligenda sunt secundum *propriam* verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi.

b) In *dubio*, rescripta, quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem, *strictam* interpretationem recipiunt; cetera omnia *latam*. (can. 49-50.)

NOTA. Quomodo rescripta *executioni* danda sint, statuitur in can. 51-57, quorum tamen explicatio canonistis relinquenda videtur. Cfr. et can. 368. § 2. — Circa executionem rescriptorum dispensationis in impedimentis matrimonii, cfr. tom. II. n. 804. *sequ.*

Articulus V.

Cessatio dispensationis.

Tribus modis cessare potest: 1° per cessationem causae, 2° per revocationem dispensantis, 3° per renuntiationem dispensati.

198. — Cessatio dispensationis per cessationem causae. I. *Commissio dispensandi* alicui facta tamquam executori sive necessario sive voluntario exspirat et nulla fit dispensatio, si causa motiva seu finalis cessarit

ante *concessam* dispensationem, nisi aliter expresse vel tacite cautum sit. Superior enim non censetur dare vel imperium vel facultatem dispensandi, nisi existente causa motiva, quae iam non existit. Hinc, si Pontifex committat Episcopo ut cum aliquo dispenset ad ineundum matrimonium cum consanguinea, prolis legitimandae causa, et proles moriatur antequam dispenset Episcopus, nulla fit dispensatio. Cfr. supra n. 191. V. 2° et 197. qu. 4; cfr. et can. 41. (*lib. 6. n. 1132.*)

Dicitur *nisi aliter expresse vel tacite cautum sit*: porro, aliter cautum est si agatur de dispensatione in impedimentis matrimonialibus *minoris* gradus; haec enim e can. 1054 valet etiamsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit, adeoque etiam si prius adfuerit, deinde vero evanescat. Cfr. supra n. 197. qu. 3; Marc. n. 245.

II. *Dispensatio concessa, quae tractum habet successivum*, cessat certa ac totali cessatione causae motivae; quia eo in casu intentio Superioris esse debet, ut, cessante causa, cesset dispensatio, ne, dispensando sine causa, sit dispensator infidelis. — Requiritur tamen ut causa *penitus* et *certo* cessaverit; quia possidet dispensatio. Confirmatur doctrina canone 86. — Excipe iterum, si aliter expresse cautum sit, ut sub I. dictum fuit.

Hinc, dispensatus ob infirmitatem in ieiunio quadragesimali, in abstinentia a carne, in divino Officio, si perfecte convaluit, nequit amplius uti dispensatione.

III. *Dispensatio absolute concessa, quae non tractum successivum, sed individuum effectum habet*, ut in impedimentis matrimonii, cessante postea causa non cessat, quia effectum suum integrum in ordine ad relaxationem obligationis iam obtinuit, obligatio autem semel extincta non reviviscit nisi novo actu Superioris. — Secus dicendum esset si dispensatio non fuerit concessa absolute, sed sub conditione expressa vel tacita: *si causa duret*. Censetur autem data absolute, si conceditur ex causa quae de se perpetua est vel existimatur, v. g. ob penuriam sacerdotum, ob morum honestatem, ob egestatem parentum etc. Cfr. Marc. I. n. 245. (*n. 196; lib. 6. n. 1132.*)

199. — Cessatio dispensationis per revocationem concedentis. I. *Legislator* concessam dispensationem revocare *valide* potest; quia non modo huius concessio, verum etiam conservatio pendet ab eius voluntate. Quod si iusta causa oriatur revocandi, *licite* etiam revocat: imo, cessante penitus causa motiva, revocare *tenetur*. *Illicite* vero revocaret, si iusta revocandi causa non existeret; quia tunc ostenderet animi levitatem et inconstantiam: quae tamen per se venialem culpam non excedit. (*n. 197.*)

II. *Inferior*, ubi dispensare potest habitualiter in lege Superioris, potest quoque dispensationem a se datam revocare. At, quemadmodum dispensando sine iusta causa invalide ageret, ita et revocando sine iusta causa; utraque enim facultas pari passu procedit. (*n. 197.*)

III. *Triplici modo* revocatur dispensationis rescriptum: a) *per peculiarem Superioris actum*, et tunc rescriptum perdurat usque dum revo-

catio ei, qui illud obtinuit, significetur; b) *per legem contrariam*, dummodo revocatio in ipsa lege notificetur aut lex lata sit a Superiore rescribentis; c) *resoluto iure concedentis* (v. g. per Apostolicae Sedis aut dioecesis vacationem), si rescripto adsit clausula «*ad beneplacitum nostrum*» vel alia aequipollens, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam concedendi dispensationem peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit. Ita ex can. 60. 61. 73. 1725. 1^o. Cfr. Chelodi. *de Principiis* n. 81. (n. 197; lib. 6. n. 559.)

200. — Cessatio dispensationis per renunciationem dispensati. I. Dispensatio cessat per expressam vel tacitam renuntiationem dispensati, a competente Superiore acceptatam. Renuntiatio acceptari debet a Superiore competente, alias perseverat dispensatio; quia a solo Superiore dependet legis obligatio; unde semel extincta nonnisi per illum reviviscere potest. (n. 198.)

II. Dispensatus dispensationi in sui tantum favorem concessae libere renuntiare potest; non vero dispensationi quae data fuit in favorem tertii vel communitatis. Cfr. can. 86 et 72.

QUAERITUR: *Quando censeatur facta tacita dispensationis renuntiatio.*

Resp. Fieri censetur per factum aliquod indicans renuntiandi voluntatem. Quocirca advertendum, solum non-usum aut usum contrarium non esse sufficiens signum animi renuntiandi; quia stare possunt cum voluntate ea postea utendi. Dispensatus proinde ad ducendam consanguineam, si postea, mutato consilio, duxerit aliam, poterit post huius mortem virtute illius dispensationis ducere priorem; item, si quis obtinuit dispensationem in ieiunio, divino Officio, potest illa uti, etsi Officium postea recitaverit, aut ieiunium servaverit. (n. 198.)

CAPUT IX.

CESSATIO LEGIS

Lex cessare potest vel ab intrinseco per cessationem finis, vel ab extrinseco per abrogationem.

Articulus I.

Cessatio legis per cessationem finis legis.

201. — Modi cessationis finis. Cessare potest finis legis: 1^o *adaequate*, quando cessat finis totus, quem legislator intendit: inde, si plures fines habuerit, v. g. intrinsecum et extrinsecum, finis adaequatus ex omnibus illis constituitur; *inadaequate*, quando finis ex parte cessat. — 2^o respectu *totius communitatis*, vel respectu *personae particularis* dumtaxat; —

3^o *negative* tantum, quando legis observatio non amplius attingit finem a legislatore intentum, nullum tamen inconueniens inducit: *contrarie*, quando observantia legis non solum inutilis, verum nociva aut valde difficilis evadit.

202. — Principia. I. *Cessante fine legis CONTRARIE respectu communitatis, lex ipso facto cessat.* Ratio est, quia tunc lex desinit esse iusta: lex autem, quae iusta non est, ne lex quidem est. — Neque tunc necesse est declarationem legislatoris exspectare. (n. 199.)

II. *Cessante fine adaequato legis NEGATIVE respectu communitatis, lex similiter cessat.* Ratio est, quia de ratione legis est ut in commune bonum referatur; ergo hac ratione cessante, lex ipsa cesset oportet.

Dixi: *fine adaequato*; quia, si plures fines sibi praefixerit legislator, v. g. tum finem intrinsecum operis, tum alium finem extrinsecum, tunc, uno tantum cessante, lex persistit. (n. 199.)

203. — Quaeritur, *an cesset legis obligatio, cessante fine adaequato respectu PARTICULARIS personae.*

Resp. Dist. Affirm., si finis legis cessat *contrarie*: tunc enim locus datur epikeiae primae speciei, de qua vide supra n. 176. Sic, si necesse sit ut liber prohibitus statim confutetur, potest quis eum ad finem librum legere.

Si finis legis cessat *negative* tantum, certo non cessat legis obligatio, quando lex est fundata in *praesumptione periculi*. (Cfr. supra n. 164; can. 21.) Quoad alias leges *disputatur*: prima sententia affirmat, altera communior et probabilior negat. *Prima sententia* affirmat, quia finis legis est tota ratio legis, qua sublata, lex deficere debet; deinde, quemadmodum, cessante fine legis communiter, deficit lex pro omnibus, sic, cessante fine legis respectu personae particularis, pro illa quoque cessabit legis obligatio.

Secunda sententia communior et probabilior negat, quia leges feruntur propter bonum commune, et secundum ea quae communiter accidunt; ideoque, dum subsistit finis legis communiter, nullus subditorum a lege exemptus est; deinde, boni communis conservatio requirit ut leges communiter ab omnibus subditis, qui eas observare possunt, observentur; denique, ob hallucinationis periculum, qua multi sibi falso persuaderent finem legis respectu ipsorum cessare.¹⁾

Haec altera sententia ideo S. Alfonso magis arridet, «quod, ut ait, communiter loquendo, fere numquam in particulari cesset omnino periculum hallucinationis. Si quando casus acciderit quod quis omnino certus et securus esset omne abesse hallucinationis periculum, tunc non auderem primam sententiam improbare; sed huiusmodi casus rarissime poterit evenire.» (n. 199; *Conf. Dir.* II. 23.)

¹⁾ Cfr. 2. 2. *qu.* 154 a. 2; Marc. n. 257.

*Articulus II.***Abrogatio legis.**

204. — **Notio.** Abrogatio est totius legis abolitio. Huic vicina est *derogatio*, qua lex aufertur quoad aliquam ipsius partem. Lex abrogatur vel per directam revocationem Superioris, vel indirecte, per legem contrariam (quo casu lex posterior dicitur obrogare priori), vel per consuetudinem oppositam. De consuetudine disseremus in sequenti Capite.

Principia. I. *Lex potest VALIDE, atque, iusta interveniente causa, etiam LICITE REVOCARI ab eo, qui illam tulit, aut a successore, aut a Superiore.* Ratio est, quia totus legis vigor pendet a voluntate legislatoris. Si tamen revocet sine iusta causa, peccat, cum noceat bono publico, in cuius utilitatem conspirat lex quaecumque.

II. *LEX POSTERIOR, a competente auctoritate lata, obrogat priori: a) si id expresse edicat; b) si totam de integro ordinet legis prioris materiam; c) si illi sit directe contraria; attamen lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur, uti can. 6. n. 1. fecit circa leges particulares Codici contrarias. (can. 22.)*

III. *IN DUBIO abrogatio legis praeesistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri potest, conciliandae. (can. 23.)*

CAPUT X.

DE CONSUETUDINE

Expendemus: 1^o consuetudinis notionem, 2^o conditiones, 3^o effectus, 4^o cessationem. Spectamus consuetudinem tantum prout est in iure canonico.

*Articulus I.***Notio consuetudinis.**

205. — **Notio.** Consuetudo, ut *factum*, est frequentia similium actuum alicuius communitatis per notabile tempus; ut *ius*, est ius ex praefata actuum frequentia ortum, et recte definitur: Ius non scriptum, diuturnis populi moribus cum aliquo legislatoris consensu introductum.

Dicitur cum aliquo legislatoris consensu introductum; etenim in Ecclesia consuetudo vim legis unice obtinet a consensu competentis Superioris ecclesia-

stici. Consensus autem Superioris competentis, cum quo consuetudo introduci potest, duplex distinguitur: 1° *personalis* seu *specialis*, quando legislator consuetudinis conscius eam approbat, expresse vel tacite; tacite, ubi non contradicit, cum facile posset; 2° *legalis* sive *generalis*, qui est in iure scripto expressus.

Divisio. Distinguitur: 1° ratione **OBIECTI**: a) consuetudo *praeter legem*, qua novum ius et obligatio inducitur, ubi lex deficit. — b) Consuetudo *contra legem*, seu *desuetudo*, quae legem abrogat vel ei derogat. — c) Consuetudo *iuxta legem*, quae legem observantia confirmat et interpretatur.

2° Ratione **MODI** quo introducitur: a) consuetudo introducta *via conventientiae*, quando legislator personaliter consentit, saltem dissimulando. — b) Consuetudo introducta *via praescriptionis*, quando habetur legislatoris consensus legalis, postquam consuetudo certo tempore invaluit.

3° Ratione **AMBITUS** sicut lex dividitur in *generalem* et *particularem*.

4° Ratione **TEMPORIS** quo usus iam duravit, consuetudo est *ordinaria* seu longi temporis, si usu iam a quadraginta annis viget; *centenaria* seu longissimi temporis, si iam a centum annis; *immemorabilis*, si initii eius memoria non exstat.

Articulus II.

Conditiones consuetudinis.

206. — Plures requiruntur conditiones, ut consuetudo sit *ius* quoddam; etenim ratione **OBIECTI** consuetudo sit rationabilis oportet; dein ratione **USUS** in quo fundatur ius consuetudinarium sit introducta a communitate, per actus frequentes, animo inducendi vel tollendi obligationem, et diuturno tempore; postremo a parte **LEGISLATORIS** requiritur eiusdem consensus, quo formaliter consuetudo in *ius* constituitur.

207. — I. Ratione **OBIECTI** consuetudo sit *rationabilis* oportet, id est, de re honesta et utili communitati (can. 27. § 1); quare nulla valet consuetudo contra ius naturale aut divinum, nec quae enervat disciplinam ecclesiasticam. Idcirco irrationabilis erat consuetudo Gallicana non recipiendi leges pontificias; irrationabilis est consuetudo legendi scripta pernicioosa contra prohibitionem Ecclesiae.

Quoties autem consuetudo in iure expresse reprobatur, signum est eam iudicio Ecclesiae non esse rationabilem. (can. 27. § 2.) Et si reprobetur tamquam contraria legi naturali aut divinae, numquam fieri potest rationabilis; si vero reprobetur pro tempore quo fit lex, tunc ex nova causa, mutatis circumstantiis, fieri potest rationabilis. (n. 108; H. A. n. 81.)

208. — II. Ratione **USUS** in quo fundatur ius consuetudinarium: 1° *consuetudo sit introducta a communitate*, id est, saltem a maiori parte com-

munitatis quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est. (can. 26.)
A maiori parte intellige: eorum quos respicit lex, v. g. a maiori parte clericorum, laicorum etc. (n. 107. I.)

2° *Sit introducta per actus frequentes*, id est, multoties repetitos, iuxta prudentum arbitrium, ut ostendatur usus iam introductus populique in eo consensus; qui pro diversitate materiae et circumstantiarum aliquando pluribus, aliquando paucioribus vicibus manifestari potest. (n. 107. IV. H. A. n. 79.)

3° *Sit introducta animo inducendi vel tollendi obligationem*; ex quo simul sequitur quod tales actus debent esse voluntarii et liberi, non ex vi aut metu.

Hinc: a) Quoad *animum INDUCENDI obligationem*: si populus falso credat esse legem, ideoque tantum eam diu observet, aut si agat ex devotione, gratitudine, et simili causa, non inducit consuetudinem obligatoriam. Imo, vi Codicis iam requiritur ut populus habeat *scientiam* suae libertatis. (cfr. can. 28.) — Animus denique se obligandi dignoscitur ex circumstantiis, nempe si consuetudo constanter observetur, et cum non levi incommodo; si transgressores puniantur; si homines pii ac docti ita communiter sentiant. (n. 107. III et IV.)

b) Quoad *animum TOLLENDI obligationem*: Si populus laeserit legem animo tantum *non satisfaciendi* ex levitate aut malitia, non inducit consuetudinem abrogatoriam. Si vero populus agat *cum ignorantia* quidem, sed non *ex ignorantia*, bene adesse potest animus tollendi legem; quoties nempe populus ita dispositus est, ut, si cognosceret legem, tamen vellet eam auferre. Talis animus interpretativus sufficere videtur ad consuetudinem inducendam, ideoque populus sive mala sive etiam bona fide incipere potest consuetudinem contra legem; ut si bona fide non observet legem ieiunii, ita dispositus ut si sciret legem, tamen vellet eius abrogationem. Cfr. Bauduin, *De Consuetudine*, n. 124 sequ.

4° *Sit introducta diuturno tempore*. Porro, si consuetudo introducitur via *praescriptionis*, consuetudo tum praeter tum contra legem debet esse legitime per annos *quadraginta* continuos et completos praescripta; imo contra legem ecclesiasticam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest consuetudo *centenaria* aut *immemorabilis*. (can. 27. § 1.) — Requiritur ut hoc tempus sit continuum seu non interruptum. Interrumpitur autem, si maior pars communitatis contra agat, etiamsi id semel fiat; vel si contradicat legislator. (n. 107. III. et n. 139.)

Dicta valent de casu, quo consuetudo inducitur per viam *praescriptionis*; citius enim introducitur per viam *conviventiae*, si legislator sciat et dissimulet; cum tunc per consensum personalem statim legem tacite revocet.

209. — III. A parte LEGISLATORIS ad consuetudinem requiritur eiusdem *consensus*. Quo legislatoris consensu formaliter *ius* consuetudinarium constituitur, quia in Ecclesia communitas non habet ex se potestatem

condendi et abrogandi leges. Unde statuit can. 25: « Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis Superioris ecclesiastici unice obtinet. » — Non requiritur autem consensus personalis, sed satis est *legalis*, utcumque legislator consuetudinem ignoret; quia in can. 27. § 1 et can. 28 statuitur ut quaevis consuetudo rationabilis valeat, modo sit legitimo tempore praescripta. (n. 107. v.)

Articulus III.

Effectus consuetudinis.

210. — *Regulae. I.* Consuetudinis *praeter legem* effectus est legem inducere, atque ideo obligare, sive ad culpam, sive ad poenam, sive ad utramque simul, et quidem sub gravi vel sub levi; quod totum pendet ex animo quo se obligat communitas eam introducendo. In dubio pars benignior tenenda est.

Potest quoque consuetudo inducere legem irritantem. (n. 197. n. 108. IV.)

II. Consuetudo *contra legem* potest legem humanam abrogare, eoque magis ei derogare; idque intelligitur non solum de lege praecipiente, verum etiam de lege poenali, imo et de irritante. Potest proinde consuetudo poenam abrogare in lege positam, relicta obligatione ad culpam, et e converso. (n. 108.)

III. Consuetudinis *iuxta legem* effectus est legem firmare dubiamque interpretari, iuxta can. 29: « Consuetudo est optima legum interpretis. » De hoc effectu dictum est n. 172. III. (n. 108.)

Articulus IV.

Cessatio consuetudinis.

211. — Consuetudo cessat eodem modo, quo lex scripta; nonnulla dumtaxat e can. 30 addenda sunt de eius abrogatione per posteriorem legem contrariam.

Regulae circa cessationem per legem contrariam. I. Consuetudinem ordinariam *universalem* abrogat lex *universalis* contraria, etiamsi lex consuetudinis mentionem non faciat, neque addat clausulam abrogatoriam. Ratio est, quia legislator nosse censetur consuetudinem universalem.

II. Consuetudinem ordinariam *particularem* non tollit lex contraria *universalis*, nisi expresse illius mentionem faciat, saltem per clausulam revocatoriam cuiuscumque consuetudinis contrariae, uti factum fuit in can. 5 pro consuetudinibus particularibus, saltem non centenariis. Sequitur ex can. 30. Ratio est quia supremus legislator in ferendis legibus uni-

versalibus censetur consuetudines particulares locorum ignorare, ideoque nolle illas revocare, nisi id manifestet. (n. 109.)

III. Consuetudinem ordinariam *particularem* tollit lex contraria *inferioris* legislatoris, etiamsi illius mentionem nullam faciat. Ratio est, quia inferior legislator, puta Episcopus, nosse praesumitur particulares consuetudines dioecesis suae, ideoque hoc ipso quod legem iis contrariam fert, easdem abrogat. (n. 109.)

IV. Consuetudo *centenaria* aut *immemorabilis* revocata non censetur, nisi expressa illius mentio fiat. Sequitur ex can. 30.

NOTA. Circa consuetudines sive universales sive particulares, *etiam centenarias aut immemorabiles, quae vigeant tempore promulgationis Codicis* (ergo ante 14 Maii 1918) quaeque *novo Codici contrariae* erant, can. 5 haec duo statuit: 1° si ipsis canonibus expresse *reprobentur*, tamquam iuris corruptelae corrigantur, neve sinantur in posterum reviviscere.¹⁾ — 2° Consuetudines *non reprobatae*, si quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum et personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat.²⁾

CAPUT XI.

DE PRIVILEGIIS

S. Alf. lib. I. Append.; H. A. tr. 20.

Summatim complectemur: 1° notionem privilegii, 2° eius acquisitionem, 3° interpretationem, 4° usum, 5° cessationem. Privilegia spectamus tantum, prout sunt in Iure canonico.

Articulus I.

Notio privilegii.

212. — Notio. Privilegium est lex privata, speciale concedens beneficium, scil. facultatem aliquid agendi vel omittendi *contra* vel *praeter* ius commune. Privilegium *contra ius* differt a dispensatione eo quod sit exemptio *per se permanens*. (n. 1.)³⁾

Divisio. Privilegium multiplex est, nempe: 1° *Personale*, quod directe confertur personae singulari: *reale*, quod directe conceditur rei, puta loco, officio, dignitati, statui, particulari communitati, et per eam personis; privilegium reale *loco* a liunctum dicitur *locale*.

¹⁾ Canones cum clausula reprobativa enumeratos habes in Indice analytico Codicis, ad verbum: *Consuetudo*.

²⁾ Cfr. v. g. can. 417. § 2, can. 1248.

³⁾ Cfr. N. R. Théol. 1922. *De la notion du privilège*, praesertim p. 5. et p. 137.

2^o *Perpetuum*, quod sine temporis praefinitione conceditur rei de se perpetuae: *temporale*, quod ad certum tempus aut certum numerum casuum vel ad vitam personae restringitur.

3^o *Favorabile*, quod confert beneficium privilegiario, sine ullius incommodo: *odiosum*, quod, favendo uni, praecidium affert alteri.

4^o *Commune*, quod immediate respicit ac intendit bonum communitatis, ut sunt privilegia *canonis* et *fori*, statui clericali concessa: *privatum*, quod immediate respicit bonum personae particularis.

5^o *Gratuitum*, quod liberaliter datur: *remuneratorium*, quod pro meritis conceditur: *oneratum*, quod datur ob aliquod onus privilegiario impositum.

6^o *Absolutum* seu *purum*, quod absque ulla conditione conceditur: *conditionale*, quod sub certa conditione vel conventionem conceditur.

7^o *Concessum motu proprio*, quando litterae concessionis insertam habent clausulam *Motu proprio*, etiamsi forsan ad supplicationem concessum sit: *concessum ad instantiam*, quod propter preces et sine dicta clausula datur.

8^o *Concessum per legem* sive universalem sive particularem: *non concessum per legem*, sed alio modo obtentum.

9^o *Clausum in Codice Iuris*, quod Codici Iuris insertum est: *extra Codicem Iuris*, quod Codici insertum non est. sive concessum sit per legem particularem vel per rescriptum, sive alio modo sit obtentum.

Sic Codici Iuris inserta sunt privilegia communia clericorum (can. 119-123), privilegium exemptionis regularium (can. 615), pleraque privilegia Cardinalium (can. 239) atque Episcoporum. (can. 349. § 1. 1^o.)

10^o *Scriptum* vel *non scriptum*, prout litteris vel alias obtinetur. Hoc autem iterum est concessum aut oretenus seu *vivae vocis oraculo*, aut ortum ducit a consuetudine vel a praescriptione.

Articulus II.

Acquisitio privilegii.

213. — I. Subiectum activum. Ii soli, qui habent potestatem legislativam, possunt privilegia concedere. Ratio est, quia a iure communi quempiam eximere, aut obligare alios ne impediunt privilegii ab usu privilegii sui, nemo nisi legislator potest.

II. Subiectum passivum. Privilegia *contra ius* solis subditis concedi possunt; privilegia vero *praeter ius* etiam non-subditis. Ratio prioris est, quia sunt exemptiones a lege; sed talis exemptio est actus iurisdictionis, quae nisi in subditos exerceri nequit. Ratio posterioris, quia meram facultatem concedunt, donationi similem, quam Superior in territorio suo exercendam concedere potest etiam exteris.

III. Modus acquisitionis. Vi can. 63. § 1, privilegia acquiri possunt: a) per *directam concessionem* competentis auctoritatis seu concessionem *primo et per se*, quae fit alicui specialiter et sine respectu privilegii aliis dati: idque sive per legem sive per rescriptum.

b) Per *communicationem* seu concessionem *ad instar*, quae alicui fit eum in modum, quo iam facta est alteri. Haec fit sive in forma *aeque principali*, quando communicantur privilegia ac si primo et per se fuissent

concessa (hoc modo olim regularium Ordinum privilegia communicari solebant aliis Ordinibus)¹⁾; sive in forma *accessoria*, quando communicantur ob connexionem quam habet ille, cui conceditur, cum aliis privilegiatis; qua ratione religiosorum privilegia nonnulla communicantur monialibus eiusdem Ordinis, vel domesticis et familiaribus religiosorum; hac etiam ratione privilegia alicuius archiconfraternitatis extenduntur ad confraternitates eidem aggregatas. Cfr. can. 723. 3^o; Maroto. n. 298.

c) Per legitimam *consuetudinem*, sive universalem, sive particularem, modo servantur conditiones iuxta dicta in Cap. praec. pro consuetudine requisitae. Hinc solummodo a *communitate* legis recipiendae capace hac via privilegium obtineri potest.

d) Per legitimam *praescriptionem*.²⁾ Hoc modo privilegium etiam a particulari persona obtineri potest. Quenam autem privilegia per praescriptionem obtineri possint, sequitur ex dicendis in tract. de Iust. (n. 686), ex quibus liquet ea v. g. non posse obtineri hac via, quae obtineri possunt solo privilegio apostolico, ut esset simplici sacerdoti privilegium ministrandi confirmationem.³⁾

NOTES: 1^o vi can. 63. § 2, *possessionem centenariam vel immemorabilem* inducere *praesumptionem* (iuris) concessi privilegii; — 2^o *acceptationem* privilegii non esse necessariam, si conceditur per aliquam legem, sicut in genere pro lege non requiritur (cfr. supra n. 145); imo etiam rescriptum privilegium concedens valet ante eius *acceptationem*, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.⁴⁾ Cfr. can. 37.

QUAERITUR, *quinam sit EFFECTUS COMMUNICATIONIS privilegiorum.*

Resp. 1^o Per communicationem privilegiorum, *etiam in forma aequae principali*, ea tantum privilegia impertita censentur, quae directe, perpetuo et sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subiecti, cui fit communicatio. (can. 64.)

2^o Cum privilegia acquiruntur per communicationem *in forma accessoria*, augentur, imminuuntur vel amittuntur ipso facto, si forte augeantur, imminuantur vel cessent in principali privilegiario; secus si acquirantur per communicationem *in forma aequae principali*. (can. 65.)

Articulus III.

Interpretatio privilegii.

214. — Regulae. I. Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est nec licet illud extendere aut restringere. (can. 67.)

¹⁾ In posterum vero valet can. 613. § 1: « Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet, quae vel hoc in Codice continentur, vel a Sede Apostolica directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione ». — Privilegia vero, ante Codicem per communicationem a religionibus obtenta remanent. Cfr. C. C. I. 30 Dec. 1937. ad II. A. A. S. 1938. p. 73.

²⁾ Pro privilegio per *praescriptionem* obtento videtur solummodo analogice valere definitio privilegii quod sit *lex privata*, quum nullum actum iurisdictionis a parte legislatoris involvat. Cfr. N. R. Th. 1922. p. 130 sequ.

³⁾ Cfr. Toso. *Normae generales*. I. p. 156. in can. 63; cfr. etiam can. 1506-1512.

⁴⁾ Cfr. N. R. Th. 1922. p. 80, et Toso. *Normae generales*. in can. 72. p. 169; paulo aliter Maroto. n. 290.

II. *In dubio* privilegia quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem, *strictam* interpretationem recipiunt; cetera omnia *latam*. (can. 68 et 50.) Quare ordinarie saltem stricte erunt interpretanda privilegia ad obtinenda plura beneficia, aut ad conferenda beneficia vacantia, aut contra observantiam regularem. (n. 7.)

III. Ea tamen semper adhibenda est interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti. (can. 68.)

IV. Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum. (can. 70.)

NOTANDA: 1° Ubi agitur de interpretandis privilegiis aliqua *lege* sive generali sive particulari concessis, videntur etiam applicandae normae pro *legibus* interpretandis supra expositae (n. 174), ita quidem, ut in conflictu hae normae praevaleant.¹⁾ — 2° Facultates habituales quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum, accensentur privilegiis *praeter* ius (can. 66. § 1); hinc *late* interpretandae sunt.²⁾

Articulus IV.

Usus privilegii.

215. — **Regulae. I.** Nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio. (can. 69.)

Dicitur 1°: *in sui dumtaxat favorem*: unde clericus per se tenetur uti privilegiis communibus clericorum, quippe quae non tantum in sui sed in sui *status* favorem concessa fuerint; per accidens excusari potest, ut si ad militiam capessendam cogatur.

Dicitur 2°: *nisi alio ex capite exsurgat obligatio*. Quare confessarius, qui habet privilegium absolvendi a peccatis reservatis, tenetur, audita confessione, eo uti respectu poenitentis rite dispositi, quippe qui ius ad absolutionem habeat. Atque in genere, quoties privilegium tollit impedimentum observationi legis, privilegiarius tenetur eo uti, si commode fieri potest. Hinc e. g. si infirmus habeat domi oratorium et commode possit diebus festis Missam audire, ad id tenetur; quia talis obligatio non provenit ex privilegio, sed ex praecepto Ecclesiae quod obligat omnes non impeditos; quare contraria sententia non videtur sufficienter probabilis. (n. 3; lib. 3. n. 319. *dub.* 3. et n. 324.)³⁾

II. Privilegia *oretenus* a Sancta Sede obtenta ipsi petenti in foro conscientiae suffragantur; attamen nemo potest cuiusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat. (can. 79.) Qua in re notes privilegium quo

¹⁾ Cfr. *N. R. Th.* 1922. p. 81 et 129; Creusen-Vermeersch. *Epitome Iuris*. I. n. 150.

²⁾ Cfr. Creusen-Vermeersch. *l. c.* n. 153.

³⁾ Sententiae nostrae post Codicem adhaerent i. a. Maroto. *Inst. I. C.* n. 300; Toso. *Comm. i. h. e.*

gaudent Cardinales: « fidem faciendi in foro externo, de oraculo pontificio testantes ». (can. 239. § 1. n. 17.)

III. Privilegia quae conferunt potestatem aliquam pro foro interno, exerceri etiam possunt in foro interno extra-sacramentali, nisi sacramentale exigatur. Si forum pro quo potestas data est expressum non fuerit, potestas intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet. (can. 202. § 2 et 3.)

Articulus V.

Cessatio privilegii.

216. — Privilegia cessare possunt sive *directe* seu per se, sive *indirecte* seu per accidens. Porro, directe cessant ex actibus positivis qui directe eorum cessationem intendunt; et possunt esse *revocatio* Superioris et *renuntiatio* privilegiarii. Indirecte cessant ex *defectu* eorum quae ad privilegium conservandum concurrunt.

§ I. - PER REVOCATIONEM SUPERIORIS.

217. — I. Modus revocationis. Distinguendum est inter privilegia in Codice contenta et privilegia extra Codicem.

1° Privilegia IN CODICE CONTENTA revocantur per *legem generalem* (can. 71); sequitur ex dictis supra (n. 204) de abrogatione legum. Potest ipsis etiam derogari *lege particulari*, *pontificia auctoritate lata*, etiam sine clausula expresse derogatoria; non vero actu peculiari, nisi S. Pontifex clare manifestet suam voluntatem; hinc non sufficeret clausula *non obstantibus quibuscumque privilegiis*; quia agitur de lege, non de mero privilegio. Cfr. *N. R. Th. l. c. p.* 83; cfr. et can. 46.

2° Privilegia NON IN CODICE CONTENTA revocari possunt: a) *per peculiarem Superioris actum*. Sed in hoc casu privilegium perdurat, usque dum revocatio privilegiario *significetur*. Cfr. can. 71. coll. can. 60. § 1.

b) *Per legem contrariam*, sed solummodo si aut in ipsa lege ita caveatur aut lex lata sit a Superiore istius qui privilegium concesserit. Sequitur ex can. 71. coll. can. 60. § 2. — Sed privilegia *per praescriptionem* obtenta, quum iura quaesita constituent, numquam revocantur sine clausula expresse derogatoria.¹⁾ Et ubi agitur de privilegiis *lege particulari* concessis, applicandae sunt normae pro abrogatione *legum traditae*.²⁾

Conformiter hisce regulis, privilegia *ante Codicem concessa* per aliquam *legem*, atque Codici contraria, sublata sunt, ad normam can. 6. 1°.³⁾ Quoad

¹⁾ Cfr. *N. R. Th.* 1922. p. 136.

²⁾ Cfr. supra n. 204.

³⁾ Applicationem aliquam vide infra tom. II. n. 846. qu. 2. (quoad Const. *Provida* de forma Matrimonii pro Germania atque Hungaria.) Cfr. et *N. R. Th. l. c. p.* 130. nota 1.

cetera vero privilegia sicut et quoad iura aliis quaesita atque indulta, Codici contraria, Codex diserte statuit ea integra manere quae, ab Apostolica Sede usque ad tempora editi Codicis personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc erant nec revocata, nisi Codicis canonibus expresse revocentur. (can. 4.)¹⁾

II. Causae revocationis. Semper requiritur causa ad revocationem privilegii, sive ut *valide*, sive saltem ut *licite* revocetur. Iamvero:

1^o Privilegium GRATUITUM: a) concessum *subditis vi solius iurisdictionis*, per modum ergo exemptionis a lege vel merae facultatis praeter legem, semper valide revocatur a Superiore competente; non vero licite, si desit iusta causa; qua deficiente, secluso scandalo, revocatione Superior venialiter peccaret. Decet enim, ut ait antiqua regula Iuris, concessum a principe beneficium esse mansurum. (Reg. 16. in 6^o). — b) Concessum sive subditis sive non-subditis per modum *donationis*, non potest *valide* revocari sine iusta causa, quia donatio acceptata non potest ad libitum donatoris revocari. Requiritur autem causa publicae utilitatis, vel gravis delicti vel talis quae sufficiat ad donationem revocandam. (n. 15.)

2^o Privilegium REMUNERATORIUM, et a fortiori ONEROSUM, non potest VALIDE revocari sine iusta causa; quia, quod alicui debitum erat, nequit iuste ab eo auferri sine legitima causa. Quod si debitum erat ex iustitia, requiritur causa publica et compensatio. (n. 15.)

3^o Qui *abutitur* potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur; et Ordinarius Sanctam Sedem monere ne omittat, si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur. (can. 78)

§ II. - RENUNTIATIO PRIVILEGIARII.

218. — Conditiones renuntiationis. Ut privilegiarius valide et efficaciter renuntiet privilegio suo, requiritur: 1^o ut renuntiatio a competente Superiore acceptetur (can. 72. § 1); et ratio est, quia Superioris voluntas, privilegium constituens, tamdiu perseverat, quamdiu per acceptationem renuntiationis non retractatur. — Num autem haec conditio etiam requiratur, si agitur de privilegio per praescriptionem obtento, dum renuntiatio non sit in praeiudicium Ecclesiae, non ita liquet. 2^o Practice stari posse videtur verbis Codicis, quum mens eius obscura sit.

2^o Ut agatur de privilegio, cui renuntiare privilegiario liberum est. Iamvero, e can. 72. § 2-4: a) quaevis persona *privata* renuntiare potest privilegio in sui tantum favorem constituto; non vero privilegio alicui communitati, dignitati locove concesso; — imo b) nec ipsa *communitas* seu *coetus* renuntiare potest privilegio sibi dato per modum legis, vel si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium. Quare clericis et religiosis non licet renuntiare suis privilegiis in Codice contentis. (can. 123.)

¹⁾ Revocationes huiusmodi recensentur in Indice analytico Codicis sub verbo *Privilegium*. Quoad can. 4 cfr. quoque Toso. *Normae Gen. i. h. c.*

²⁾ Negatur in *N. B. Th. l. c. p. 135-136*, quum legislator nullum ius condiderit.

§ III. - CESSATIO INDIRECTA.

219. — Privilegia indirecte cessant ex defectu eorum quae ad privilegium conservandum concurrere debent. Unde privilegia indirecte cessare possunt:

1° EX DEFECTU VERIFICATIONIS CONDITIONUM SEU CLAUSULARUM quae pro eorum perduratioe tacite vel expresse privilegio sunt appositae.

Quare cessant: *a*) elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus fuerunt concessa. (can. 77.) Nihilominus si agatur de privilegio potestatis alicuius pro foro interno concessae, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est. (can. 207. § 2.) — *b*) Cessat quoque privilegium, si temporis progressu rerum adiuncta sic, iudicio Superioris, immutentur ut *noxium* evaserit, aut eius usus *illicitus* fiat (can. 77); sub hac enim tacita conditione privilegia tantummodo conceduntur.

Non vero cessat cessante causa finali *negative* tantum, quamvis dispensatio, tractum successivum habens, iuxta supra dicta tunc cesset. (n. 198. II.) Ratio est, quia privilegium, etiamsi effectum successivum habeat, censetur concedi totum simul, utpote datum per modum cuiusdam iuris et potentiae et non per modum actionis, sicut dispensatio. (Suarez. *De Legibus. lib. 8. c. 31. n. 19.*)

2° EX DEFECTU SUBJECTI cui privilegium concessum fuit. Quare: *a*) privilegium *personale* personam sequitur et cum ipsa exstinguitur; *b*) privilegia *realia* cessant per absolutum rei vel loci interitum. — Attamen privilegia *localia*, si locus intra quinquaginta annos restituatur, e iuris dispositione reviviscunt. (can. 75.) Unde ecclesia destructa, sed intra quinquaginta annos reaedificata, indulgentias pristinas recuperat.

3° RESOLUTO IURE CONCEDENTIS privilegia non exstinguuntur, nisi data fuerint cum clausula *ad beneplacitum nostrum*, vel alia aequipollenti. (can. 73.)

4° EX DEFECTU USUS, sive sit non-usus sive usus contrarius, privilegia aliis haud onerosa non cessant; quae vero in aliorum gravamen cedunt, amittuntur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio. (can. 76.)

Unde privilegia absolvendi vel dispensandi non cessant per non-usum; nec privilegium non ieiunandi cessat per usum contrarium. E contra privilegium percipiendi partem decimarum vel pensionum e beneficio amitti potest per non-usum, i. e. non percipiendo eam quando percipiendi occasio occurrit; privilegium non solvendi decimas vel pensionem amitti potest per usum contrarium, i. e. solvendo eam; dummodo in utroque casu accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio. (n. 14; Suarez. *De Leg. lib. 8. cap. 34. 3.*)

5° Privilegia acquisita PER COMMUNICATIONEM IN FORMA ACCESSORIA amittuntur, si cessent in principali privilegiario. (can. 65.)

